758164

Asc. VI. 11

Conventus
Fregedienoris
Patrum
Franciscanorum
Provinciae
Salvatorianae

Belgradum Hungariæ juris primus fecit S. Ladislaus, ut habemus hic in Vita Ejus.

MAGNA HUNGARORUM DOMINA

CUM

Reliquis é Gente Hungara potissimùm Cæli Indigetibus

QUI

Vel in Sanctorum Catalogum sunt relati, vel Sanctitate floruerunt, piæ venerationi proposita

Conventus AC Szegedinensis

Laureato Honori

SPECTABILIS AC ERUDITI DOMINI,

STEPHANI KERESZTURI

Patrum de Bere Keresztur Franc.

Dum

In Alma ac Regio-Principali S. J. Acedemia Claudiopolitana

Prov. PROMOTORE Salvat.

R. P. LADISLAO NEDECZKY

è S. J. AA. LL. & Phil. Doctore ejusdémque in Physicis Professore ordinario

Primâ AA. LL. & Philosophiæ laureâ ornaretur

â Neo-Baccalaureis Condiscipulis dicata.

Annò M. DCC XXXVIII. Mense Junio.

CLAUDIOPOLI Typis Academ. Soc. JESU.


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt


SPECTABILIS DOMINE!

Si *tempori*, *loco*, Tibi, *nobísque accomodum quid deferre voluimus*, *honori* Tuo *præsens opusculum inscribere addecebat. Philosophi Philosopho præsentamus Magnam Hungariæ Dominam*, *cæterósque ex Gente cumprimis Hungara sexûs sanctitate Illustres utriusque eo tempore*, *quô vetus Christiani nominis hostis grave bellum meditatur. Singula breviter illustrabimus ex vero dici. Profanam scientiam tractamus*, *Aristotelem audimus*, *non bene materiam libelli nostris studiis convenire objiceret ignarus unus de trivio aliquis*, *at* Tibi *longè alia*

✝

inse-

insedit sententia. Nôsti enim, quò Christiani Philosophi rerum naturalium per vestigatione colliment. Cælestium nempe corporum motus, maris æstus, reconditos in imis cavernis naturæ thesauros, causas, & originem rerum omnium, dum magnâ animi contentione perscrutamur, qui his immersus unicè, altiùs non assurgit, Philosophis accenseri non meretur. Veri enim sapientiæ sectatores, quia Christianos se meminerunt, profana tractant, ab iis ad Cælestia progrediuntur, ut observatâ rerum vicissitudine, varietate, difficultate scientiarum, imbecillitate ingenii humani, Omnipotentiam DEI adorent; grandem in nos amorem fideli venerari famulatu insveiant illius responsi memores, quod D. Cyprianus gentibus olim dederat: Nos Philosophi non verbis, sed factis sumus, non loquimur magna, sed vivimus quasi servi,

vi, & cultores DEI. *Faceſſat proinde ex Philoſophorum cætu, cujus tota induſtria profanis abſorbetur, fructus induſtriæ terrenis, ac evanidis rebus definitur. Hæc meta erit, hic ſcopus, ſtudiorum noſtrorum. Gloria DEI, vita Chriſtiano digna homine, ſalus publica.*

Si pietas proinde finis eſt laborum, factum optimè, quòd res geſtas Sanctorum cum Cæli Reginæ in nos favoribus offeramus, ut quot Icones aſpicies, tot Virtutum luculenta exempla habeas ad manum. Probitatis enim iter ingreſſus es, at arduum illud, & ſpinis obſitum, multi vel eminus obſervatis difficultatibus in veſtigio hærent; alios à cæpto ſemel tramite impatiens laboris retrahit animus; progrederentur non pauci, ſi ad verba cohortatores exemplum adderent. Nam teſte Seneca: Longa via per præcepta, brevis & effi-

cax per exempla. *Idcircò sapientissimô consiliò jam inde à primordiis Ecclesiæ Sanctorum adnotabantur virtutes, ut sicut pictores, dum imaginem depingunt, identidem in exemplaria flectunt oculos; ita qui se in virtutibas perfectum efficere cupit, ad simulacra motu, & actione prædita, ad vitas nempe Sanctorum mentem crebro convertat. Advertet enim optimè, quid desit (ut pauper, dum Regios thesauros intuetur suam inopiam) & excitatus exemplô, insistet avidè vestigiisq; Uti B. olim Mauritius è Gente Csakiorum. Fratrum illa quendam ex Ordine Prædicatorum in castro patrio commorantem flexo humi poplite oraverat, ut de Sanctorum exēplis quidpiam enarret, audivit referentem tanta aviditate, tanta utilitate, ut in pias solutus lachrymas Religiosum institutum arripere decerneret DEO deinceps uni victurus. Idem fecêre alii,*

quo-

quorũ sanctitatem demiramur. Quamvis autem exempla plurimùm momenti habeant ad persuadendum, majorem tamen vim domestica, quæ uti magis ad nos pertinere putamus; magis sequi amamus.

Habes Domine Spectabilis profectò in hoc opusculo copiosa etiam eorum, quorum posteros adhucdum florere in Patria conspicis, ut quodcunque demum vitæ genus Tibi sequi placuerit; quodcunque præclarum pro DEO, Principe, Patria facinus aggrediendum erit; quodcunque negotium expediendum in ætate aaultiori, amplissimis ornatus, ùt meritò auguramur, Magistratibus nunquam deerunt ductores, in quorum immortalia facta intuearis. Leges ardentissimum, & Vere Apostolicum in D. Stephano Orthodoxæ fidei latissimè propagandæ studium; in Mariano Rege Ladislao, Christiano milite dignam forti-

tudinem; in Emerico Angelicæ puritatis amorem; in Adalberto, aliisque in laboribus Apostolicis constantiam in Elizabetha invictũ in rebus adversis robur, erga inopes nunquam satis laudatã charitatem; in Margarita in corporis afflictatione severitatẽ; in Gertrude orationis amorem; in omnibus animi demissionem, tenerámque in Virginem Matrem pietatem; in MARIA absolutissimum omnium, virtutum speculum habebis; & sæpè occurret illud Magni Augustini: potuerunt hi, & hæ: *quid remoratur viam ingredi, quam gloriosè tot ejusdem ætatis, Patriæ, Gentis item, Hungariæ Illustria decora superârunt.* Verè enim inquit S. Gregorius non difficile æstimatur, quod jam factum conspicitur.

Scimus quidem in hæc pulcherrima facinora obtutum flectere, legere, mente volvere ingratum aliis erit, qui quot exi-

eximios conſpicantur actus in Vitis Sanctorum, tot aculeis ſuos vulnerari oculos, & perſtringi ignaviam toties exiſtimant, at Tu inter delicias numerabas ſemper maximas exempla vitæ rectè inſtituendæ memorari. Ita enim ætatem Tuam hactenus exegiſti, ut diſpliceret omne Nobili animo inimicum, arrideret vehementer quidquid cum litteris, & probitate morum eſſet conjunctum. Rarum ſanè encomium, non majus tamen meritis Tuis. Egregiam, & ad omnem honeſtatem propenſam adeò nactus es indolem, ut cum de aliis ad formanda augurìa felicia, operosè corradantur indicia, Tua verba, & ætatis teneræ actiones, affectus animi, ſatis ſupérque loquebantur talem Te futurum olim, qualem pii Parentes expetere ſolent hæredem.

Porrò ne tam egregriæ ſpes interciderentur, attentione opus erat. Sæpè

enim

enim pravorum exempla, voluptatum illecebræ, ætas ipsa lubrica, primos flores decoquit, ne in fructus matureſcant, ùt fieri non rarò cum dolore videmus; Parentũ Tuorum *ſollicita educatio periũ omne avertit. Tam probis enim ortus es, ut Genitori* Tuo *illud elogium dicere debeamus, quod Tobiæ ſeniori Raguel, alloquens Juniorem, dederat:* Benedictio tibi ſit fili mi! quia boni, & optimi viri filius es. *Matri verò Judith attributam laudem accinere:* Timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. *Libet hic utriuſque paululùm meminiſſe, quò appareat reſpondiſſe* Te *expectationi, cui tam boni Adoleſcentiæ* Tuæ *obtigerunt Curatores. Pater* Tuus *Nobilitatem à Majoribus ſuis longâ ordine acceptam, ita eximiis illuſtravit ornamentis, ut ſi nullam accepiſſet, dare potuiſſet ſeris nepotibus. Simul ac*

ætà-

Simul ac ætatem publico idoneam attigit, meritis suffragium dicentibus ad supremi Judicis dignitatem provectus, ita pluribus jam annis Inclytæ Sedi Marosiensi moderatur, ut cui recta administratio est cordi, similem semper optare debeat. Exacta Legum Patriarum scientia, æquitatis amor, laborum tolerantia, boni publici studium, dexteritas in perficiendis negotiis Virum hunc pretiosum Summis infimisque, atque sublimiori dignum gradu reddiderunt hòc amplius, quò magis cum probitate insignia hæc decora sunt conjuncta. Pietatem in DEUM, Cæli Reginam, Superos satis quotidianæ preces, aliáque devotissimi animi exercitia loquuntur. Celebrant in Genitore Tuo *inopes Patronũ; Religiosæ Familiæ eximium Benefactorem. Longũ esset singula percensere, delibamus aliqua. Patribus Seraphici ordinis, ut Aram D. Antonio ponerent*

rent Udvarhellyini, impensas ministravit; Vásárhellyiensis Missio Patrum S. JEsu, quòd peramplum ædificio spatium habeat, quòd surgat magnis incrementis, Patrono huic refert in acceptis. Neque hic stitit pia liberalitas, ut perpetuum aleret in Templo ignem lampas; ùt Magnæ Dominæ Hungarorum excitaretur Altare honoribus, sumptum tribuit. Plura licèt suppeterent silentiô premimus, nam facere magis digna laude amat, quàm laudari. Par ardor animum Genitricis Tuæ à teneris occupavit. Sermo omnis probitatem spirat, illos optimæ impendi dies existimat, quos in servitio Divino exegit. Ut in aliis accenderet salutis curandæ sitim, pium dispersit libellum, quem suo ære excudi nuper curaverat. Hæc dilucidè enarranda erant, quò constet timorem Domini à primis annis Tibi fuisse instillatū. Functi enim adamussim piorum Parentum

sunt

sunt officiô, bene gnari, quod ait S. Isidorus, qui liberis suis adhuc in tenera ætate primùm quidem verum de Excellentia DEI, atque providentia sensum, deinde virtutem, atque bonos mores inserunt, hi à DEO mercedem accipiunt. *Idcirco in eo locabant sedulam operam, ut Christianæ vitæ amorem in* Te *accenderent. Nec multis erat opus cohortationibus, delitiæ* Tibi *erãt, quod ad probitatem morum ducebat. Id observans sapientissimus Genitor tuus, ùt progressùs faceres ampliores, Vásárhellyinum in Disciplinam PP. S. J. primùm* Te *tradidit, subinde ad Academiam hanc dimisit, Quantas hìc feceris ad veteres laudes accessiones, quis satis deprædicet? advertêre in* Te *discipulũ Moderatores qualem Boëtius de schola Disciplinæ loquens depinxerat:* ut sit attentus exercitiô: docilis ingeniô, benevolus animô. *Excipis avidè præcepta*

litterarum, perpolis constanti mente Tuam industriâ, iis delectaris, quæ nobilem exornant indolem. Quamobrem quot Condiscipulos nactus es, tot insignium decorum tuorum Laudatores effeciſti. Novimus enim victorias, quas in arena litteraria Tibi comparâſti; placet in Te erga Majores obſervantia; fervens pietas; Excelſitas animi; politi ad omnem civilitatem mores; laboris amor; propenſiſſima ad omnes ſcientias Voluntas; verbô ornamenta omnia Juventutis. Sunt ſæpè qui Eloquentiam ligatam illam, aut ſolutam; ſunt qui Philoſophiæ partem aliquam avidè conſectantur, commendari merentur, at is plenam conſequitur laudem, qui altiùs contendens ad apicem omnium ſcientiarum aſpirat. Hæc Tua laus eſt: poſteaquam enim Poëſim, Rhetoricam, Logicas, Phiſycáſque quæſtiones ſingulari induſtria pertractâſſes, nunc Mathematicis ſubti-

li-

litatibus intentus, adeo non lassaris, ut plura scire expetas; exhauriunt aliorum industriam humaniores litteræ, aliis tædium vel delibare Aristotelis placita injicit, miras illico, quas ignaviæ suggerit, remigrandi obtendunt causas. Tibi *exantlati labores stimuli sunt, ut ad scientias alias progrediaris. Ita nimirùm, quia ad magna es natus, Solem imitaris, qui quietem refugit, dum ad plenum meridiem properat. Et lucebis* Tu *olim, ùt nos, ùt Moderatores juventutis* Tuæ, *non temere conjectant emensis studiis, illustrabísque* Patriam, Familiámque *tuam clarissimam, cum magno optimorum* Tuorum Parentum *solatio, quibus longissimam Vitam, ac incolumitatem ex animo precamur. Non deerunt quidem difficultates, quas ignavorum turba objiciet at facilè perrumpes omnes, in clarissima hæc intuens exempla, quæ in li-*

bro

bro expressa detulimus. Romani Heroës, unum aliquem deligebant, quem in se exprimerent faciliùs Te illis assecuturum omnia ne dubita, si in magnã Hungariæ Dominam, reliquósque Indigetes oculos convertas. Poterant Veteres à Viris Illustribus ideas vivendi accipere, juvari ab illis non poterant; dum Tu imitandis sacratioribus vestigiis studebis, forti intercessione juvabitur conatus eò celeriùs, quò magis excitabunt ad fiduciam favores Majoribus Nostris collati, & imprimis à Magna Hungariæ Domina, quos illa tam profusè contulit, ut prodigio simile sit tot fluctibus Hungariam sæpè impetitam respirare potuisse. Gravissimam iterum Oriens minatur tempestatem; ne metue sub Clientela Potentissimæ Dominæ delitescens immunis à periculo. Habebis siquidem castrorum aciem pro præsidio, eámque ordinatam. Gratiâ plena est, Omnipo-

ten-

tentis Mater est, impetrabit facilè à DEO favores, qui nos omnia per MARIAM habere voluit; Misericordiæ verò Mater non esset, si succurrere renueret iis præsertim, qui præstare pietatis obsequiis se dignos Patrocinio, ut Tu *hactenus in more habuisti, satagunt, ut S. Bernardus dicere non dubitârit*: Sileat laudes Tuas Virgo beata, qui Te suis in necessitatibus invocatam sibi unquam meminerit defuisse. *Causam aliô locô assignat pulcherrimam alloquens Illam*: Certè Domina cùm Te aspicio nihil nisi misericordiam cerno, nam pro miseris Mater DEI facta es; misericordiam insuper genuisti; & demum officium misericordiæ est Tibi commissum, undique Tu misericordiâ vallaris, solum misereri Tu appetere videris, ita sollicita es de miseris. *Intercessioni Reginæ apud DEUM*

UM *jungentur reliquorum Cælitum preces, quanta hinc favorum ſpes?*

Advertis jam quàm accommodũ munus deferamus, Accipe proinde, perenna tantis fretus præſidiis! vive pro Patriæ emolumento, Familiæ clariſſimæ ornamento, ſolatio Parentum, & noſtram gratificandi voluntatem boni conſule, quos Tuarum *laudum ſemper teſtes habebis.*

Ita precantur

Condiſcipuli Neo-Baccalaurei.



If. de Langgraffen fculp. Tyrnauiæ

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

IN Icone hac Hungaria Magnam ſuam Dominam, Patronam ſingularem jam inde â primordiis ſuis veneratur. Quamvis enim cultus Marianus ab ipſis Apoſtolis initium ducat, ſubinde per omnes Orbis partes latiſſimè diffuſus, Sanctiſſima tamen Virgo dominatûs ſui ſedem & Gratiarum in Hungaria fixiſſe dici poteſt. Per hanc enim Regnum, Regem, Coronam, Pontifices, felicitatem domi foríſque, verbô totum Ungari acceperunt. Repetamus, quò liquidò id conſtet, vetera. Ad annum fere milleſimum Provincia audiebat hæc Regio, Ducibus parebat; ad Matris miſericordiæ opem Stephanus confugit, cultum, ac Venerationem pollicetur, ut è voto cederet Lega-

tio, subscripsit desideriis Sylvester II. P. M. Et ne ambigendi locus supereſſet, tunc Stephanus Rex Romæ quò ipsa in Nazareth Regina proclamatur; dum illa in Cœlis, ille in terris coronatur. Hæc initia erant favorum; mox alios adjecit; affluentiam rerum, tam secundos bellorum eventus, ut Pontifices Romani æquissimi rerum æstimatores sæpe Victoctorias gratularentur Regibus, & Ducibus; contráque Hostes veritatis Catholicæ Hungarorum viribus uterentur; alii Principes suspicerent; Orbis melior velut fortissimum Reipublicæ Christianæ propugnaculum celebraret. Vix lux Fidei tenebras superstitionis dispellere occepit; qui Cœleste opus evertere meditabantur, magnô numerô erumpunt, sed invictas senserunt acies castrorum, ubi Dux pugnabat cum MARIA, piissi-

mus

mus Rex Stephanus exiguo exercitu Cupam primùm in agro fudit, fugavitque ſimeghienſi; Gyulam cum uxore & liberis deinde cepit, meliora ſapere paulò poſt edoctos, dum ſacris abluti undis veritatem ſunt amplexi Fidei Orthodoxæ. Bulgaros cum Cea Duce ferme internecione delevit. Majus adhuc addo. Ne Conradus nocere poſſet Teſſerarius cælitus miſſus, ùt fertur, per contubernia Militibus Cæſaris nomine edixit, ut remigrarent, ante lucem abiêre omnes. D. Ladislaus, Marianus Rex ex vero dictus, quatuor præliis Chunorum, cæſo etiam ſingulari certamine Aco Duce, fregit potentiam; Polonorum, Ruthenorum, Hamaxobiorum compeſcuit audaciam; ſingulari prodigio acceptâ annonâ, aquæ item recentis abundantiâ, pecuniâ in lapidem versâ, ut victoriis per-

mota clarissimis, sacra expeditio supremum Moderatorem salutârit. Plures nactus hostes Ludovicus primus, ut plures vincere posset, Amurathes, Saxones, Litvani, Tartari, Croatæ, Itali, Bohemi, Veneti, Bulgari, Valachi, diversis temporibus vægrandes eduxerunt exercitus, de omnibus feliciter triumphavit, ut latissimê præter Hungariam in Polonia, & Italiæ parte dominaretur. Quid de Corvino Patre, & Filio dicam? Joannes decies eductâ acie cum Barbaris depugnavit, quater & decies improvisô prælio aggressus hostem, bis solùm cessit, sed tantâ editâ strage, ut vincere sic nollet Turca, nisi exitium Imperii quæreret. Semper alias victor tam insignis, ut ad terrendos Ottomannos satis fuerit nominare Hunniadem. Et meritò; si quatuor enim, ad Vas-

capum

capum, ad Moravam amnem, ad Taurunum, in *Dacia* denique gesta bella conferantur, centum, & amplius Turcarum millia, præter captivos, cæsa Anales referunt. Matthias Orientis, & Occidentis viribus, sufficit dixisse, par fuit, qui glorioſum opponat exercitum. Ubi verò ad Augustissimam *Domum* Austriacam transivit Hungariæ dominatus, ùt reliquos taceam, quæ Leopoldus Magnus, & ejusdem Magnus bellô & Pace Filius Carolus ad Temesiam, Belgradum Viennam, Szentam, Budam defixerunt de Barbaris trophæa in grandibus voluminibus descripta Orbis miratur. Quæ eò majorem merentur admirationem, quò minorem spem paucitas sæpe militum, hostium multitudo, annonæ ærariique difficultates, iniquitas temporum spem faciebant prosperi successûs.

Libet hîc adjungere, quod ſcriptor eruditus de pietate Mariana diſſerens habet. (a) *DEUS bone! quot in Regnum hoc conjuravêre excidia, nunquam tamen octavum in ſeculum ſive Jariſſæ Barbaricæ, ſive pugiones hæretici, ſive externi gladii, ſive domæſticæ ſicæ tantùm potuêre, ut delerent. Heu quot Imperia brevi tempore, nec magno ab hoſte everſa! Ungaria adhuc ſtat, ſed nec patebit unquam ruinæ, quod protegitur dexterâ MARIÆ.* Premitur ſæpe ab hoſtibus nominis Chriſtiani & Catholicæ veritatis, at Mater miſericordiæ uſque ad prodigia fere quotidiana tutatur. Mirare lector pie ſingulares favores! Vix fortè reperies Regnum in Orbe univerſo, in quo tot prodigioſas Icones Virgineæ Matris reperias: Jaurinum Claudiopolis, Vallis Mariana, Clik Somlovia,

Tyr-

Tyrnavia, Kismartoniũ, Nitria, Viſ-
novia ad Solnam, Prata Mariana, Pôocs
ſive illa, quæ Viennam translata ſive
quæ ſubſtituta eſt, Cellæ Marianæ
Ludovici primi grandis theſaurus!
ſuas Thaumaturgas habent publicæ
Venerationi propoſitas. Ne verò cu-
ram Hungariæ depoſuiſſe videri poſ-
ſit hoc tempore, ceſsâſſeque miracu-
la (ùt quidam dicere amant, quos
pervicax error, & tarditas ad creden-
dum, licèt innumeri teſtentur omni
exceptione majores, fidéque digniſ-
ſimi, ex Beatorum illorum numero
non ſinit eſſe; de quibus Joannis 20
dicitur: *Beati qui non viderunt, &
crediderunt.*) Trigeſimô ſecundô ſe-
culi labentis tot prodigiis Saſvárini
ſtatua Virginis depoſitum è Cruce
Salvatorem geſtantis inclaruit, ut ſub
unum aſpectum quadraginta homi-
num millia ſive pro collatis bene-

ficiis

ficiis gratias acturi, sive nova petituri confluxerint sub ipsa initia. Facit id pia Patrona, ùt quò plures diversis locis & temporibus aperit fontes gratiarum, eò plures accurrant, plures profundere queat favores.

Quæris causam? hæreditas est Mariana Hungaria, Domina est, & Patrona; non poterat deserere subditos suos provocata Fidelibus obsequiis. Stephanus enim suprema voluntate hæreditariam Hungariæ Dominam, & Reginam dixit MARIAM, Marianis totam addixit honoribus. Basilicam Albæ magnificentiæ Regiæ, & insignis pietatis monumentum futurum, à fundamentis excitavit, in quo & sacra insignirentur Coronâ Reges, & tumularentur. Factum optimè! ut ita recordarentur & ortum, & occasum dignitatis suæ, Magnæ hujus Dominæ si-

tum

tum in potestate, eique perpetuò regnaturæ reddendum sceptrum, dum iis temporarium indulgetur. Ratum habuêre testamentum successores saluberrimum, dependerunt vectigal pietatis Reginæ suæ, quam lubentes, volentéque agnoverunt. Rex Marianus Virginis effigiem aureæ monetæ imprimi jussit; Andreas II sacri belli Imperator pulsum æris campani induxit, ut ter diebus singulis ab omnibus salutaretur; cæteri cùm His, vexillis, supellectili regiæ, aulæis, Aris, Curiis, mensibus ipsis adeo intulerunt, ut quocunque oculos converterent, commonerentur cujus auspiciis pugnarent, cui obsequia impendere, quam Dominam venerari deberent. Templa, Aras, Colossos, Cœnobia Coronati vertices, Optimates ponebant impensis posterorum memoriâ digniſſimis, ut olim

præter

præter ingentes passim Basilicas, Præposituras, Abbatias, integra virorum, Sacrarúmque DEO Virginum contubernia quinquagenarium numerum superârint. Grandibus ædificiis in honorem suæ Patronæ constructis grandia addiderunt donaria. Ex paucis colligere licebit. Ludovicus primus Nostrense Monasterium B. V. dicatum tam profusè locupletavit, ut Vicarius Generalis Ordinis Eremitarum S. Pauli excessûs eum interpellaverit, misit abiturus ad Superos in perpetuum testimonium sui famulatûs ad Cellas Marianas paludamentum, calcaria, ensem, pacis, & belli hæc decora deferendo utriusque felicitatem, ùt à Magna Domina profectam ostenderet.

Matthias verò ùt militia, ita pietate nulli secundus, excoluit Albensem Basilicam dignis se muneribus

in quibus erat, ut ait Bonfinius, *Crux solida gemmatáque. ex obryzo affabrè facta, quam quinque & quadraginta aureorum millibus venisse prædicant, item gemmatæ phialæ, & pelvis aurea, candelabra, calices, Eucharistiæ taberna ulum, omnia è puro solidóque auro confecta, lapillorum varietate & scintillantia, præterea statuæ argenteæ, & sacrarum vestium apparatus duodecim, unionibus admodum onerati, quæ omnia* 75000 *aureûm venisse referebant.* D. Gysela omne sericum, aurum, gemmas, & mundum totum muliebrem conferebat. Eleonora & ipsa à Sanctitate vitæ ætate nostra celebris præter alia dona Cellensem, ac Budensem sacerdotalis Aræ apparatu una ipsius manu, opere longè pulcherrimô, ac pretiosissimo Virginem Matrem locupletavit. Visitur

etiam

etiam Laureti Vaivodæ Transilvani C. Stephani de Bathor simul sub Matthia Corvino Curiæ Regiæ Judicis anathema pretiosum, in quo ipsius armati effigies ad pedes Virginis ex argento est expressa. Rata habuit donaria piissima Mater eò magis, quò pluribus obsequiis colebatur. Omnes siquidem summi, infimíque in cultum conspirârant, ut meritò exemplum Marianæ pieiatis Hungaria potuit nominari. Diminutus est non nihil hic Ardor extincto ad Mohachium Rege Ludovico inter tumultus bellicos, ùt accenderet iterum in animis Hungarorum Ferdinandus, fixum in animo & destinatum habebat nullis parcendi laboribus, ùt ait Nierembergius, (c) *ut Regnum à Patrocinio Deiparæ non minùs validum, quàm fortunatum pristino fervori redderetur.*

retur. Præivit exemplo subditis, nulla in hæreditariis Provinciis Sodalitas erat, cujus albo suum nomen non inscriberet. Idem Imperatrix, Rex, Liberi Archiduces faciebant. Dum templum Religiosis è monte serrato accitis moliretur extra Viennensis Urbis pomærium, ajebant non bene hoc ædificio grandi, consuli Civitatis securitati, perstitit in sententia optans quôvis propugnaculô Deiparæ Ecclesiam præsidio conjunctiorem esse. Et quamvis clementiâ emineret, dum tamen injurius quis fuisse in Cœli Reginam deferretur exorari non potuit ut parceret. Extat memoriâ digna Epistola, quâ præcipit suo Belliduci, ut expilatores ædis Sacræ Plecteret his verbis: (*d*) *Dilecte Comes! rescribo, quod dolens intellexi de insolentia, & ausu, quem militum meorum nonnulli commi-*

sisse

sisse feruntur in ædem Divæ Virgini sacram, notæ tibi sunt gratiæ & victoriæ, quas per intercessionem Deiparæ Generalissimæ meorum exercituum hactenus obtinui, mando tibi, quam valeo efficacissimè, ut accuratè inquiras in factum, & severissimè plectas reos, neque cujusquam respectu flectaris, ita munus adimplebis Ministri, qui Principis sui Gratiam demereri gessit. Par pietas Leopoldo Magno. Devictis Barbaris novô Regnum Hungariæ Virgini appendit votô, sacramentô Subarrhavit. An imitata vel æmulata Eleonora Augusta? in dubio relinquo. Utriusque commune refugium erant Cellæ Marianæ, Auxiliatrix Passaviensis, Hiezingana. Dum bellum gerendum contra Imperii direptores, dum connubium contrahendum, dum in Bohemiam eggrediendum,

obtentis de Turca victoriis, natô Josephô Filio ad Cellensem Virginem pius Cæsar invisit. At Carolo Invictissimo Imperatori non erat satis Cellas Marianas venerari, in monte Serrato gladium è latere detractum in perenne amoris pignus appendit tholo in Advocatam elegit MARIAM. Augusta verò dum spectabant exempla devotissimi animi, quid mirum, si Magnates, populum, omnésque status in imitationem pertraxerunt. Vivit in Annalibus, & memoriâ hominum Pauli de Esztoras olim Pro-Regis eximia pietas, non satis huic erat ad Cellensem, Aram argenteam deferre magni pretii, non satis sumptum tribuêre, ut quotannis Virgini, dum Immaculati Conceptûs memoria recolitur, Viennæ, ac Tyrnaviæ laudesdicentur. Ipse rarô sanè exemplô prodigio-

digiosarum toto orbe Iconum Patrio idiomate historiam conscriptam in publicum emisit. Vivit etiam in ore hominum Sigismundi Kornisii Trãsylvaniæ Gubernatoris, cui satis erat rescire quid placeret Reginæ Cœlesti, ut faceret; à lachrymis, & miraculis celebrem Claudiopoli imaginem ad omnem elegantiam exornavit, lampadem appendit, quæ à morte etiam clarissimi viri ardentem pietatem loqueretur. Vivit præter plurimos alios Spectabilis Domini Sigismundi Felvinczi, & Spectabilis Dominæ Claræ Felvinczi Napolianæ, ille impensas stabiles constituit, ùt quot diebus Lauretanæ laudes inter organi Symphoniam concinerentur, hæc gemmeas coronas, & quidquid habuit pretiosi Virgini Thaumaturgæ Claudiopoli consecravit. Vivit deniq; (sint Superis gra-

gratiæ!) & noſtra ætate in Procerum Ungariæ ac Tranſylvaniæ, Nobilium ; Populíque cordibus priſca in Dominam ſuam reverentia, qui morem majorum ſuorum ſecuti piis donariis Saſvarienſem, Claudiopolitanam, Thalenſem, aliáſque â prodigiis nominatas Icones venerantur, honorant Sabbathinis præſertim jejuniis, devotis reverentur ſupplicationibus, frequentibus colunt peregrinationibus. Dolent tamen vehementer veterem refrixiſſe non parùm fervorem, & ſuas identidem Marianis conjungunt lachrymis, quas diverſis in locis ſuperiori ſeculo DEI Mater in imaginibus profudit.

Licet enim diverſam habere poſſint lachrymæ originem ; ſapienter tamen in Hiſtoria Thaumaturgæ Virginis R.P. Antonius Mindſzenti bo-

 nis

nis omnibus, dum viveret amatus, Magnus ad hæc MARIÆ cultor de præsenti differens argumento subjungit.

Tantarum lachrymarum quis finis fuit aut esse potuit? non alius profectò, quàm idem ille, qui olim Jeremiæ, Davidi, & Christo ipsi fuit. Jeremias optabat consolationem Israël; Regius pœnitens remissionem culpæ, ac pœnarum; Christi lachrymarum salus fuit Populorum. Quis dubitat Dominam Ungariæ sitientissimam esse, ut splendor, aut vetus ille, aut priscô illô lucidior in Patriam redeat? Quis ambigat, quin lachrymæ illæ profusæ sint, ut sit satis tandem errorum, satis inflictaram ob errores calamitatum? Quis denique aliud in illis requirat? quàm quod consentaneum est, ut remigret ita luxato Ungariæ integritas corpori, & plena salus? Luculentum proinde est,

quid

quid nobis lachrymæ profuerint, ut non periremus, ut ab imminentibus calamitatibus præriperemur: quid à nobis exegerint; ut operam omnem impendamus, accedamúsque luci veræ Fidei, ne fatuos consectemur errorum ignes, ut animos pristinæ pietati reddamus, probitatem colamus; quid denique lachrymæ illæ potissimùm significaverint. MARIANUM videlicet in nos amorem cui quid rependere laborabimus? frustra sunt omnia, nisi gratias referamus, & inter gratias amorem Virginis, cultum Numinis æterni & laborem in mutuam salutem. Hoc demum tantarum est lucrum lachrymarum.

Dum hæc leges lector benevole! incidet nondum exstinctum esse Marianum in Hungariam amorem. Non deesse & alios in Cælis Patronos, quorum vitam sequentes exhibent

paginæ. Cæterùm ut in vota nostra promovenda flectantur citiùs, ut intercessione sua desideria nostra apud Altissimum promoveant, laudare, & venerari piis exercitiis ne omittas. Noli metuere, fiet id citra injuriam Divinæ Majestatis, ad cujus Gloriam laus, & veneratio Cæli Reginæ, reliquisq; Indigetibus refertur. Audi D. Hieronymum: *honoramus servos, ut honor servorum in Dominum redundet*, audi Magnum Gregorium de laudibus S. Athanasii differentem: *Athanasium laudans virtutem laudabo, quoniam omnes virtutes complexu suo tenet; virtutem autem laudans, Deum laudabo, à quo omnis virtus in homines promanat.* Pietas verò hæc ut gratior evadat imitari non pigeat, quod laudare delectat.

(a) R. P. Paulus Sztankai è S. J. in libello, quem de pietate in Magnam Hungariæ Dominam edidit.

S. STEPHANUS
Primus Rex Ungariæ.

UT Regum, ità & Sanctitatis Ungaricæ alpha Divus Stephanus, Geyzæ parenti jam Christiano, à cæleſti primùm internuntio, dein etiam à Deipara, Saroltæ Matri verò, à Sancto Proto-Martyre Stephano promiſſus, primam lucem aſpexit Strigonii Annô 985. Sacro fonte à Sancto Adalberto ablutus, eam educationem habuit, quæ futurum Ungariæ Apoſtolum decebat. A morte Patris rerum potitus, legatione ad Chriſti Vicarium Romam miſsâ, Ungariam Sedi Apoſtolicæ ſubjecit, & ab eodem, Angelica viſione priùs admonito, Coronam, Miſcæ Poloniæ Duci nuper inter Chriſti fideles aggregato, deſtinatam, cum Apoſtolici Regis titulo, & Cruce, Apoſtolatûs indice, recepit. Templa cum Canonicorum Collegiis, & Xenodochiis, Romæ, Jeroſolymis, Conſtan-

tinopoli, Ravennæ, in Ungaria Strigoniensem, & Colocensem Archi-Episcopatus, decem Episcopatus, complura DEIPARÆ, & Divorum honori Templa, plurima Religiosis Monasteria ingenti munificentiâ fundavit. Contra rebelles domesticos, gentiles, Conradum Imperatorem, Transylvanos pugnare coactus, vocatâ in opem DEIPARA, semper victor, potiorem prædæ partem Templis addixit. Profusissimus in pauperes, in quibus Christum reveritus, eorum pedes Regiis manibus abluebat. Qua liberalitate, & demissione illud meritus, ut resoluto in cineres corpore dextra corruptionis expers, post 45. à funere annos, sit reperta. DEI Genitricem, plùs quàm facilè dici possit, ardenter prosecutus, eam totius Ungariæ Dominam elegit, & moriturus hæredem instituit; cui die assumptionis, quâ annô 1001. primùm coronam acceperat, eandem 1038. restituit. Sacrum ejus Corpus suavissimo fragrans odore, cœlestíque liquore, morbis omnibus salutari, scatens, Albæ-Regali conditum, Angelico sæpius concentu fuit honoratum.

Vitam ejus habent, Chartuitius Surius, Ribadeneyra S. J. Inchoffer, S. J. Tarnoczy S. J.



B. Gisala Conjūx S. Steph. Reg. Ung. dein Abbatissa Passavij, Ubi obijt 7095 7 may Phil. ferrar. in Cat. SS.

DEBRECEN EGYETEMI KÖNYVTÁR

BEATA GIZELA,

S. Stephani Regis Conjunx.

GIZELA Sancti Fratris Henrici Imperatoris Soror, Sancti Regis Stephani Conjunx, Sancti Filii Emerici Mater, egregia pariter sanctitatis exempla posteris imitanda reliquit. Henrico Hezilone Bojorum Principe, & Gizelâ Burgundiæ Regis Filiâ prognata, à Sancto Wolffgango tenera in ætate educata, ubi nubiles annos attigit, Divo Ungariæ Regi Stephano, 20. tum annos nato, Anno 1005. desponsata, è sacro hoc conjugio Emericum filium suscepit, qui Angelicis moribus, Sanctis se natum parentibus abundè loquebatur. Plurimùm illa in gente Ungarica sanctis moribus imbuenda, & in arreptæ Religionis amore confirmanda, tum monitis, tum assiduis apud DEUM precibus laboravit. Omni quidem genere laudatissima, sed in miseros, & calamitosos præcipua animi commiseratione ferebatur, nullum inopem à se indonatum & tristem abire passa, Mater pau-

perum audire meruit. Sancti Conjugis sui munificentiam æmulatura, præter sumptuosam Sancto Emeramo Ædem, egregiam Wesprimiensi in Urbe Basilicam erexit, eámque omni pro re Divina necessario apparatu, Regia manu laborato, uberrimísque proventibus dotavit. Maritô in Cœlos receptô, receptui & ipsa canere, in Germaniam redire, sæcularibus valedicere pompis; Patavii Sanctimonialium asceterium ingressa est, ubi Religiosæ vitæ perfectione clarissima, Amitæ suæ Helicæ in Cœnobii regimine succesſit, & tandem meritis dives, cùm annum ætatis centesimum superâsset, Anno 1095. 7. Maji sacro fine quievit.

Sanctam nominat. Phil. Ferrar. in Catal. novo SS. Vitam sub titulo Beatæ habent: Ranbeck Bened. 7. Maji. Bucel. in Menol. Ord. Hugo Menard Rader. S. J. meminit ejusdem Bollandus, & vitam promittit cum vita Sancti Stephani.

S. EME-

S. EMERICUS;

Dux Ungariæ.

SAnctis Stephanô & Gizela parentibus Albæ-Regali Anno 1007. natus Emericus, ab infantia virtutibus omnibus addictiſſimus, propiorem Angelis, quàm hominibus vitam duxit. Tenera in ætate Sancto Gerardo Epiſcopo Moderatore uſus, DEI cultum, & ſingularem SS. DEI Parentis amorem ab eo traxit. Reliquis altùm ſopitis, lectulo ſe regius hic parvulus erigere, in genua demittere, Davidicos ex ordine Pſalmos recitare, & ſub cujusque fine m noxarum, quas innocens animula nullas noverat, veniam implorare. Hujus in Filio pietatis conſcius Pater, mirùm quantùm gaudebat; útque DEO pro tali filio grates ageret, novum Deiparæ honori Templum poſuit. Weſprimii uno tantùm è ſuis comitatus ſacram noctu Ædem ingreſſus Emericus, dum demiſſis precibus, quid DEO, ejúsque Matri acceptiſſimum facere poſſet, edo-

ceri ſupplicaret, cœleſti voce charam DEO eſſe Virginitatem intellexit, eámque perpetuo colendam ſtatuit, nec minùs inviolatè ſervavit, intactâ Regiæ Virginis integritate, cui paterno ex imperio deſponſatus erat. Illud Virginitatis ſuæ præmium à cœlo accepit, ut quo quiſque Caſtitatis gradu polleret, nôſſe poſſet. Cujus indicium dedit, dum Monachos ſibi obvios amplexu & oſculis, diſpari numero, pro modo nempe & tempore ſervatæ integritatis, eſt dignatus. Ad Angelos puriſſimus ejus Spiritus Albæ-Regali Anno 1031. evocatus, in cœlum commigravit. A Benedicto VIII. rara felicitate unà cum Patre Stephano Sanctorum numero eſt aggregatus, plurimis poſt mortem miraculis clarus.

Vitam habent: Chartuitius, Ranzanus. Ribadeneyra S. J. Inchoffer S. J. in Annal. Eccleſ. Raderus S. J. In Bav. ſancta. Tarnoczy S. J.

S. GUN-

S. GUNTHERUS EREMITA,

Cognatus S. Stephani Regis.

GUNTHERUS regia stirpe apud Thuringos natus, Sancto Stephano Regi per Gizelam Conjugem suam omnium historicorum voce agnatus fuisse scribitur. Ætatem juvenilem inter aulæ coruptelas molliùs actam correcturus, dicto vanitatibus vale, turbæ se subduxit, & Monachum indutus, ità mores in meliùs mutavit, ut brevì asperitate vitæ, vigiliis, sui demissione, cæterarúmque virtutum studio longè latéque inclaruerit. Sanctitatis hujus famâ in Ungariam perlatâ, plurimùm delectatus Divus Stephanus, eum videndi, & ejus exemplo in Virtutum studio proficiendi ardore motus, ad se evocavit; ast aulæ se miscere metuentem, vix tandem iterum, & tertiò vocatum impetravit. Adfuit tandem, regiisque epulis admotus, avim assam mensæ illatam, ut vitæ reddita avolaret, precibus effecit,

cit, ne assuetus esurialibus, ad carnis esum cogi possit. Nec diu illic moratus, quietem asceticam aulæ tumultibus præhabens, reditum meditabatur; verùm ut in Ungaria Sedem figeret, Monasterium ei Divus Stephanus in agro Budensi. *Beel* dictum erexit: Sed cum nec ibi ab aulæ strepitu satis securus ageret, majoris perfectionis amore solitudinem petiit, & varias quâ Ungariæ, quâ demum etiam Bohemiæ sylvas 38. annis incoluit, donec à Bredislao venationi intento, cervi asylum quærentis vestigiis detectus, sacroque epulo, ùt petierat, refectus, horâ quâ prædixerat, nona die Octobr. Anno 1045. impertitâ præsentibus benedictione, inter eorundem lachrymas ex eremo in paradisum transiit.

Vitam habent: Surius, Raderus S. J. in Bav. sanctâ. Hundius fol. 117. Inchoffer S. J. in Annal. Ungariæ.

BEATA SALOMEA,

Conjunx Colomanni Filii Regis Ungariæ.

SALOMEA, quæ aliis etiam SALONICA dicitur, Lesci Sandomiriæ Ducis Filia, Boleslai Pudici Poloniæ Regis soror, tertiô ætatis annô in Ungariam translata est educanda, ut regiis unà & piis institueretur moribus, quæ jam tum Colomanno, Andreæ Ungariæ Regis filio, dein Haliciæ in Russia Regi, Sponsa destinabatur. Qua in ætate adeò sanctâ cum omnibus agebat conversatione, ut à Spiritu Sancto desideria sua Regi clarè exhiberet. Disciplinis scholasticis unà cum Sponsa exercitata ità profecit, ut Evangelium in Missa tantùm auditum, vulgari domi sermone repeteret. Thoro matura, Colomanno desponsatur; verùm peractis pompa regali nuptiis mutuo animorum consensu pactum iniverunt, quô separatô uti thalamô, perpetuámque casti Conjuges Virginitatem, DEI & Intemeratæ ejus Matris amore, intactam

ctam servare constituerunt. Noctes illa, úsque ad corporis lassitudinem, viriumque defectum orationi & vigiliis impendebat. Ad retundendam subditarum in vestium luxu vanitatem, pulla semper veste utebatur. Corporis & animi puritatem adeò sollicitè curabat, ut pavida semper & tremens, vel remota ejus temerandæ pericula vereretur: quem thesaurum ut contra domesticos hostes certiùs tueretur, corpus jam duplici, jam triplici, pro tentationum nempe gravitate, cilicio macerabat. Conjuge vivis erepto, aulæ se vanitatibus eripuit, & soli posthac DEO victura, facultatibus partim in pauperes alendos, partim in Fratrum Minorum, & Ordinis Sanctæ Claræ Sororum, erigenda Monasteria impensis, in Sanctimonialium cætum se abdidit, ubi præcognita mortis die, eam pientissimè Anno 1268. 15. Kalend. Decembris obiit, dum orantes circa lectum Moniales ejus animam stellæ instar in cœlum ferri conspexerunt.

Vitam habet Wadingus tom. 2. Annal. Minorum ad ann. 1252. & 1268. Bolland. eam promittit 24. Julii.

BEA-



B Beatrix Andreæ II Vng. Regis Con-
iunx. deinde Gemulæ Sanctimonia-
lis obijt 23. Iulij.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

BEATA BEATRIX,

Andreæ II. Regis Ungariæ Conjunx.

BEATRIX, potentissimi Principis Aldobrandini Atestini Filia, ea eximiarum Virtutum laude inclaruit, ut Sereniſſimi Ungariæ Regis Andreæ eo nomine ſecundi, ob expeditionem in terram ſanctam Jeroſolymitani dicti, amores, merita, ejuſdem thalamo, Sponſa expeteretur. Hæc in thronum ſublimata, ſe non extulit, ſed inſignis formæ & pudicitiæ fœmina, & vilioribus indui veſtimentis, & cum humilioribus converſari expetebat. Pretioſas Sanctorum exuvias, quas è terra ſancta plurimas rariſſimásque Conjunx attulerat, regiis ipſa manibus exornabat, & per celebriora Ungariæ Templa cultui publico proponendas partiebatur. Maritô demum fatis functô, cùm generosô eſſet animô, nec ulli eô inferiori nubere in animum induxiſſet, Regum Regis intaminatiſſimum amorem exambiit, & dicto terrenis regiæque pompæ vale,

in

in eodem, quo cognata ejuſdem nominis Beatrix Abbatiſſam egerat, & mira vitæ ſanctitate effulſerat, Sancti Joannis Baptiſtæ Monaſterio, Monaſticen, *Gemmulæ* profeſſa eſt; ubi terrenis expedita curis, totam ſe cœleſtibus impendere, regíæque dignitatis oblita, infra omnes ſe deprimere geſtiebat; generoſiſſimæ demiſſionis exemplar, & Sanctitatis ſpeculum effecta, vitam Anno Chriſti 1239. 23. Julii ſancto fine terminavit, inter præcipuas gemmei illius monaſterii gemmas recenſeri digniſſima, quo geminis ſanctè gemellis Beatricibus, ùt cognatione, ità Virtutum ſtudiô ſereniſſimis beatum ſe fuiſſe, & earundem patrociniô felix ſe eſſe etiamnum gloriatur.

Vide Bucell. in Menol. Bened. Joan. Bapt. Pigno. Chron. Ateſt. tom. 2.

S. SA-

S. SALAMON,

Rex Ungariæ.

SALAMON Andreæ I. Regis Ungariæ ex Agmunda Roxolanorum Ducis Filia genitus, quadrienni minor cum Henrici III. Romanorum Imperatoris filia Sophia desponsatus, & quintô ætatis annô in Regem Ungariæ coronatus, variam suo in regimine adultior fortunam est expertus. Victoriis pluribus glorioſus, à Bessorum & Bulgarorum feritate Ungariam ità vindicavit, ut ne cladis quidem nuntius ad suos remeaverit. Dalmatiæ & Croatiæ regna Zolomiro Affini suo à Noricis erepta restituit. Infaustior ei cum Geyza & Sancto Ladislao Patruelibus dimicatio: ab hoc enim captus, & in Vizegradiensi arce custoditus, non sinè miraculo est liberatus, dum è tumulo Sancti Stephani Regis, cujus corpus levatum honorificentiùs condere Ladislaus volebat, lapis dimoveri priùs non potuit, quàm libertati Salamon redderetur. Recrudescente cum iisdem bello, iterum victus,

ctus, Divino Spiritu afflante rerum temporalium vanitatem edoctus, è prælio clàm omnibus fugit, coronáque & galeâ positis solitudinem petiit, ubi primùm neminem feliciorem eô, quem mundus oderit, esse cognovit. In subterraneis cavernis delitescenti, herbæ & poma sylvestria cibum, siccæ frondes lectum, palus potum, ferarum exuviæ tegmen præbebant. Continuô jejuniô & mortificatione membra conficere, diem noctémque precibus dare suetus, sanctiora per orbem odæa peregrinus invisit. Tandem Polæ in Istria ignotus omnibus, vitæ finem Anno 1077. invenit, ubi festum ejus officio Divino sub ritu duplici quotannis quartô Kalendas Octobris colitur, & sacræ corporis ejus exuviæ honorificè conditæ asservantur.

Vita ejus habetur in Lectionibus propriis Ecclesiæ Potens. & apud Inchoffer. S. J. in Annal. Ungar. Bonfinius.

S. LA-

S. LADISLAUS,
Rex Ungariæ.

LADISLAUS primus hujus nominis Ungariæ Rex, Belæ primi filius, ex Miecislai Poloniæ Regis filia prognatus, omnibus è cœlo naturæ gratiæque donis liberaliter instructus, post ætatem teneriorem summa pietate actam, popularium votis coactus, regiæ coronæ caput invitum submisit, eandem Salamoni æmulo ultrò cessurus, nisi à regni Proceribus prohibitus fuisset. Dalmatiæ, Croatiæque regna, per sororem hæredis expertem, hæreditario jure Ungarici regni coronæ in perpetuum adjunxit, cujus dominatum in Serviam usque protendit, dum Belgradum primus hostibus eripuit. Contra hos semper victor, quia semper Superûm auxilio protectus, cui etiam spectabiles aliquando Cælestes Genii opem attulerunt. Ex bellorum spoliis DEI monitu ad Chrysium amnem Varadini Magnæ Ungarorum Dominæ Basilicam cum Canonicorum collegio fundavit, Templa & Monaste-

ria

ria complura regiâ munificentiâ vel erexit, vel auxit. Inter regni curas ità Divinis intentus, ut sublimis à terra, splendoréque circumfusus quandoque conspiceretur. Pietatem ad omnia utilem experientiâ didicit. Pecuniam ab hostibus terga vertentibus sparsam, precibus in lapides commutavit, ne miles ei colligendæ intentus, à superveniente barbaro cædi posset. Militi per deserta potando fontem, alendo verò integros cervorum, & bubalorum greges precibus impetravit. Expeditionis in Terram sanctam Dux electus, dum iter pararet, mors pios conatus Anno 1095. 27. Junii intercepit. Mortui cadaver currui impositum, occultâ vi, sinè jugalibus, ad Deiparæ Basilicam Varadinum properavit, ubi conditum innumeris claruit prodigiis. Mortem ejus indicto per omnes regni fines luctu publico, triennalíque Procerum pulla prosecuta est Ungaria.

Vitam habet Surius 27. Junii. Bonfinius, P. Tarnoczy S. J.

SAN-



S. Hedvigis, Andreæ II. Yng. Regis primæ Coniugis Soror, S. Elisabethæ Vngaræ matertera, ob. 1243. 15 Oct.

DEBRECEN · EGYETEMI KÖNYVTÁR

S. HEDVIGIS,

Matertera Sanctæ Elizabeth Regis Ungariæ Filiæ.

HEDVIGIS Bertholdi Moraviæ, vel Meraniæ Marchionis filia, Gertrudis Ungariæ Reginæ, quæ Andreæ hujus nominis secundo desponsata erat, soror, Henrico Poloniæ, & Silesiæ Duci nupta, plùs semper pietati, quàm illecebris addicta, 30. ultimos conjugii annos, mutuo mariti consensu, castos egit. Cujus Virtutis amore ut plures imbueret, Parthenonem Ordini Cistercienſi erexit, & reditu, mille Sanctimonialibus alendis suffecturo dotavit. Viros, ac fœminas DEO devotas ea veneratione prosequebatur, ut eorum vestigia, ubi DEUM orâssent, oculis libaret. Sacrarum Virginum odæum invisens, clam pia basia figebat flagris, quibus illæ in tenerum corpus sævire consueverant. Quò minùs Monasticam & ipsa vitam profiteretur, major in Ducali dignitate pauperibus opitulandi facultas persuasit. Horum illa pedes genuflexa abluebat,

ſemper ex iis aliquos commenſales adhibebat, nec hauſtum ſumebat priùs, quàm horum ultimus ex eodem poculo, è quo erat bibitura, propinâſſet. A mendicis ea panis fruſtula, quæ corrogârant, redimere ſolita, oſculabatur, & dulciſſimarum epularum locò manducabat. Quaſi publicæ annonæ præfecta, Religioſis omnibus neceſſaria liberaliſſimè ſuggerebat. Mater orphanorum, tutela viduarum, peregrinorum hoſpita, redemptrix captivorum, præs, ac vas alieno ære gravatorum, demum communis afflictorum omnium portus, patrona, refugium. Aliquando coram Icone Crucifixi oranti, refixa Chriſtus è Cruce manu benedicere viſus, multis eam miraculis & prophetiæ dono dignatus. His, aliiſque Virtutibus clara, mortis tempus edocta, & à Sanctis Virginibus viſitata, 1243. Idibus Octobris placido fine quievit. Quam die eadem, poſt quatuor & vicenos annos, Clemens IV. Sanctis aggregavit.

Vitam habet Ribaden. S. J. 15. Octobr. Surius, tom. 5° Raderus S. J. part. 1. Bav. Sanct.

S. GER-



B. Gertrudis V. S. Hedvigis materteræ S. Elizabethæ filia, Sanctimoni, alis. obijt 17 martij.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

S. GERTRUDIS VIRGO,

Filia Sanctæ Hedvigis, quæ fuit Matertera Sanctæ Elisabeth.

GERTRUDIS ex Henrico Silesiæ Duce, & Sancta Hedvige, quam Sanctæ Elisabeth Ungaræ Materteram, & Gertrudis, Andreæ II. Ungariæ Regis Conjugis sororem fuisse diximus, nata, qualem tenera in ætate vivendi methodum didicerit, è Matris ad omnem pietatem, & sanctitatem propensissimæ institutione colligere licet. Mundum, & secularem pompam, ac delicias omnes pertæsa, ut vanitati valedicere, totámque se DEI obsequio mancipare liceret, non ægrè à Matre impetravit; quæ collaudatâ ejus intentione Parthenonem liberalissimis dotatam reditibus, quam incolere cum paris voti Virginibus posset, erexit. Ad quam plurimæ brevi temporis intervallo ingentis spei, & virtutis Virgunculæ congregatæ, generis claritatem nova sanctitatis luce geminârunt. Gertrudem voluêre, & coluêre Antistitem;

quæ ità eas rexit, ut nihil præscriberet faciendum, quod non ipsa prior exhiberet exemplô, plùs factis imperans, quàm præceptis. Sanctam Hedvigem Matrem, quæ triginta ipsos annos omni carnis esu abstinuit, quantum licuit imitata, non tam temporalis, quàm asceticæ vitæ Matrem colebat, plùs ei se debere, quod bene piéque viveret, quàm quod viveret, contestata. Quâ vivis ereptâ, summi thesauri locô capitis velum, quô Diva olim Elisabeth usa fuerat, & ab ea, ad Matrem Sanctam Hedvigem pervenerat, adepta, in eo utriusque virtutis memor, à præcelsis tantarum exemplis ne degeneraret, illius demissionem, & sui despicientiam, hujus vitæ austeritatem, munificam utriusque in egentes profusionem, quàm proximè assequi contendebat, donec absoluto vitæ mortalis curriculo, utrique in cœlo æternùm sociandæ hinc discessit. Cujus memoria decimo septimo die Martii agitur.

De hac habet Ribadeneyra S.J. in vita Sanctæ Hedvigis, aliique.

S. ELI-

pag. 21. 22. Lisanyzik.
S. Elisabeth, Portugalliae
regina, e matre Ungara
oriunda

Elisabeth anno 1261 nata --

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

S. ELISABETH
Vidua Thuringa.

ELISABETH Andreæ ſecundi Jeroſolymitani dicti, Ungariæ Regis è prima Conjuge Gertrude filia, anno 1207. mundo edita eſt. Adhuc quadrimulam Hermannus Thuringiæ Landgravius filio ſuo paris ætatis Ludovico Sponſam impetravit, miſsíſque Legatis ad ſe deferri voluit, ut cum filio ſanctè integréque educata, paribus cum eo moribus aſſueſceret. Quanquam inſtructore non eguit indoles ad omnem pietatem, & ſanctitatem facta. Sæpe nocte concubia lecto tenella membra proripiens, orationi genuflexa vacabat; diem penè totum operibus miſericordiæ, & egenorum obſequiô tribuebat; pauperibus, viduis, pupillis, ægrotis, carcere detentis ære, ac omni, quod ingenioſus amor ſuggerebat, auxiliô promptiſſima ſuccurrebat. Mendici, capitis dolore graviter afflicti, capillos Regia manu tondebat, leproſi verò pedes, & ulcera abluebat. Germaniâ fame laborante, apertis horreis, nongen-

tos quotidie pauperes pascebat, cúmque annona deficeret, suas ipsa gemmas, & monilia corpori detracta vendebat, ut eorum pretio egenorum necessitatibus promptiùs subveniret. Sui osor, sub molli veste cilicio in carnem armabatur, quam adeò rigidè jejuniis atterebat, ut ejus exemplô etiam Anachoretæ possent erubescere. Marito soluta, opes in condendum nobile Xenodochium profudit, ipsa reliquum vitæ, in Pœnitentium Sancti Francisci Ordine, pietatis officiis addixit; lanam & linum, queis nudos vestiret, tractabat, donec die mortis prævisa Spiritum anno 1231. Sanctissima inter suspiria DEO reddidit. Quam increbrescente miraculorum gloriâ illustrem, annô post obitum quartô, post mortuos 16. ad vitam revocatos, Gregorius Papa Sanctarum syllabo inseruit.

Vitam habet Surius. Ribaden. S. J. 19. *Nov. Raderus S. J. Chron. Ordin. Minor. Lib.* 9. *Cap.* 10. *usque ad* 19.

B. GER-

B. GERTRUDIS VIRGO,

Filia S. Elisabethæ Thuringæ.

GERTRUDEM, nobilem hunc Virginei pudoris florem, Ludovicus Thuringiæ Regulus, è Sanctissima Conjuge Diva Elisabetha, Andreæ hujus nominis secundi Ungariæ Regis Filia mundo dedit, quam Lipsius Sophiam nominat. Qualem hæc tam in ætate molli, quàm adultiore vitam egerit, nec copiosiùs, nec magìs in compendio dici potest, quàm si Elisabetham Matrem, id est, mulierem sanctissimam, orationi, operibus misericordiæ, sui abnegationi, & despicientiæ addictissimam, vitæ morúmque institutricem, dicatur habuisse; quam, ut semper in oculis habebat, ità omni virtutum imitatione docilis Filia satagebat æmulari. Vidit hæc Matrem, se coram Icone Crucifixi gemmis, omníque mundo muliebri spoliantem, ratam non decere his ornari ancillam, cujus Dominus toto corpore lacer spinis amiciretur: nec minùs generoso ausu luxum omnem,

regii thalami ſpem, ſpéſque ampliſſimas Divinô obſequiô poſthabuit; séque in Altenburgenſi Sanctimonialium Ordinis Præmonſtratenſis Cœnobio, totam pietatis ſtudiis dedicavit. Ubi ejus Virtus brevì adeò inclaruit, ut novellam hanc adhuc Chriſti Sponſam, ſibi ætate, ac Religione graviores pro vitæ agendorúmque regula ſtatuerent; unde factum, ut communibus earum ſuffragiis Præpoſita eſſe juſſa ſit. Eſtò illa ſubeſſe potiùs, quàm præſſe ambiviſſet, impoſiti tamen oneris partes ità explevit, ut honore nihil elata infra omnes ſe abjecerit, ancilla potiùs omnium dicenda, quàm Abbatiſſa, ſi obſequia, quæ ſingulis præſtabat, attendas; adeò ſuimetipſius oblita, totam ſe ſororum commodis immolabat. Par vitæ mors, id eſt, Sanctæ ſancta ſucceſſit.

Beatam ponit Lobetius in Gloria Patriarcharum, de Sancto Norberto §. 9. Vitæ meminit Raderus S. J. In Vita Sanctæ Eliſabeth.

pag. 27. 28.

S. Agnes Virgo
Constantiae Belae III
Ungariae Regis filiae filia.

Agnetem Constantiae
Belae III Ungariae regis - -

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

B. MARGARITHA,

Belæ IV. Regis Ungariæ Filia.

MARGARITHA Belam IV. hujus nominis Ungariæ Regem, & Mariam Theodori Græcorum Imperatoris filiam, parentes habuit, anno 1242. nata. Trimulam egressa ætatem, Religiosarum Sancti Dominici Claustrum *Wesprimii* ingressa, illud Religionis Tyrocinium posuit, ut ætatem Virtus longè excederet, nec jam discipula, sed Religiosæ perfectionis, & sanctitatis Magistra videretur. Innato in DEIparam affectu permota, vix quadrienni major, ejus officium toties à Sororibus cantari auditum, è memoria recitabat. Nullam ejus imaginem prætergressa, quam non aut osculô, aut genuflexione veneraretur. Profesta ejus, pane & aquâ; Octavas verò, millies repetita per diem Salutatione Angelica celebrabat. Decimô ætatis annô, é Wesprimiensi Claustro, in aliud, quod pia parentum ejus liberalitas in insula prope *Budam* condiderat, migravit, ibíque post biennium emissâ, in Beati Humberti

berti Ordinis Prædicatorum Generalis manibus, Religioſæ vitæ profeſſione, nuptiarum periculis ſe expeditam eſſe gaudebat. Tanto enim ei Virginitas in pretio erat, ut Bohemiæ & Poloniæ Regum thalamis expetita, priùs ſe naſo truncare, vel luminibus privare, quàm virginitatem perdere velle reſponderit. Nihil hac humilius, in corporis afflictatione ſeverius nihil. Regum ſe dici filiam, probrum ducebat; tantum ſanguinis flagris eliciebat, quantum in tenello corpore contineri dubitari potuiſſet. Mortem decimâ octavâ Januarii die, quam ſupremam fore prædixerat, annô ætatis decimô octavô pientiſſimè obiit, cùm priùs DEIparam Angelorum agmine ſtipatam, capitique ſuo coronam imponentem conſpexiſſet. Ejus Sanctitatem plurimis DEUS poſt mortem prodigiis eſt teſtatus, quam Officio Divino novem Lectionum Ordo Prædicatorum colit.

Vitam habet Bollandus S. J. 28. Januar. Surius Roſiveid. S. J. Sigiſm. Ferrarius, Ribadeneira S. J.

B. CUNE-

B. CUNEGUNDIS

Conjunx Boleslai, Virgo, & Soror Beatæ Margarithæ.

CUNEGUNDA, quibuſdam Kinga, Belæ quarti Ungariæ Regis filia, Beatæ Margaritæ Soror; ubi primùm uterô maternô ſoluta, articulata, claráque voce, hæc Ungarico idiomate verba protulit: *Ave Regina cœlorum, Mater Regis Angelorum.* Virtutibus regia prole dignis innutrita, quartis & ſextis ſeriis, ſemel tantùm uberibus ſe admoveri patiebatur. Præclaris corporis animíque dotibus, Boleslai Poloniæ Regis amores anno 1239. deſponſata, obtinuit, cum quo immaculatum, per ipſos 40. connubii annos, thorum coluit, ex qua animi magnitudine Boleslao hodiedum Pudici nomen inhæſit. Virgineæ huic corporis & animi integritati, pii Conjuges profuſam in egenos DEÍque ſervos liberalitatem, maritârunt. Ordinis Sancti Franciſci Religioſos primi in Poloniam advocârunt, iiſdémque inſigne Cracoviæ Monaſterium ſtatuerunt. Cunegunda

verò

verò post mortem Mariti, facultatibus regiis in pauperum usus, piásque causas distractis, pauperem Christum secutura, Monialium Sanctæ Claræ instituto se addixit, & vetrem *Sandeciam*, in Monasterio à se, & Viro suo condito vitam exactura, contendit. Ubi plùs quàm duodecim annos, in summa vitæ austeritate, corporis maceratione, vigiliis transegit. Prophetico Spiritu à DEO donatam fuisse multa docuerunt, quæ ejus prædictionem eventu secuto comprobârunt. Vitam innocenter actam beato fine, die vigesima quarta Julii anni 1292. terminavit, in eodem Monasterio terræ mandata. Virginitatis nunquam temeratæ florem tumulo secum intulit, cujus Sanctitatem stupendis DEUS miraculis ab ea tum vivente, tum ad ejus sepulchrum, post mortem patratis voluit comprobatam; nam ut cætera fusiori calamo relinquam, quos è mortuis ad vitam recreavit, recensiti sunt octoginta.

Vitam habet Wadingus Annal. Min tom. 2. ann. 1279. & 1292. & maximè tom. 3. ann. 133. N. 23. Cromerus lib. 10. Joan. Dlugoskius. Can. Cracov. vitam edidit.

B. ELI-

B. ELISABETH
VIRGO,
Andreæ III. Ungariæ Regis Filia.

ELISABETH Andreæ hoc nomine tertii, & Fennæ Siciliæ Regis filiæ, Ungariæ Regum filia, *Budæ*, regni Metropoli anno 1292. nata, ùt nomen à Proamita ſua Sancta Eliſabeth Vidua, ità cum hoc vitæ innocentiam ab ejus ſanctitate in mores traxit. Parvula Henrico Archiduci Auſtriæ deſignabatur Sponſa, verùm DEO cor ejus præoccupante mundum exoſa, Clauſtrum Ordinis Sancti Dominici *Thoſæ* in *Helvetia* annô ætatis decimô tertiô ingreſſa, totam ſe virtutum amoribus conſecravit. Orationi addictiſſima, ſæpius cubiti altitudine à terra ſublimis eſt viſa; aliàs præ affectuum ſacrorum teneritudine ità viribus defecit, ut ſororum manibus è templo ad cubiculum portari debuerit. Ut patientiam ejus cœlum exerceret, ad promerendam auguſtiorem coronam, plurimas ei ægritudines immiſit; jam enim febribus, jam cholicis doloribus,

jam paralysi pressa, omni membrorum usu destituta, plagis ulceribúsque toto corpore plena, ità miserè putrescebat, ut Dominus noster JESUS Christus suos dolores, & cruciatus cum hac Sponsa sua partiri voluisse credi posset; quos ipsa ut ardenter sæpius expetiit, ità fortiter tulit impetratos, nullúmque aut tædii, aut pusillanimitatis indicium vel ore, vel gestu exhibebat: quin DEO pro morbis, velut pro munere sibi acceptissimo, grates reponebat, donec ad extrema deducta, pridie Nonas Maji anno ætatis quadragesimô primô plurimis gravissimísque morbis confecta, ad gaudia cœlestia evolavit. Ut in vita, sic post eam plurimis clara miraculis. Novercæ suæ ad funus comitandum venienti, toto corpore coruscа comparuit; corpus verò ejus, quod in vivis majore sui parte computruerat, septimo post tumulationem mense, ut honorificentiùs conderetur, terrâ erutum, integrum, & sinè ullo ulcerum vestigio suavissimè redolens est repertum.

Vitam habet fusè Bollandus tom. secundo 6. Maji. fol. 123. Sigism. Ferrarius part. 2. L. 2. cap. 36.

S. LU-

S. LUDOVICUS,

Tolosanus Episcopus, Mariæ Stephani V. Ungariæ Regis Filiæ Filius.

LUDOVICUS Caroli Siciliæ Regis, & Mariæ Stephani hujus nominis quinti Ungariæ Regis Filiæ soboles, mundo data est anno 1275. Patris à Petro *Aragoniæ Rege* prælio navali victi, & in captivitatem ducti, redimendi causâ anno ætatis 14. obses ductus est in *Catalavniam.* Septenniô, quô ibi moratus est, fastidire terrena, & his altiora mente & desideriis versare doctus, Ordinis Fratrum Minorum disciplinam sequi constituit, apud quos eum in literis brevi progressum fecit, ut in Theologicarum difficultatum enodatione factus sit *admirabilis.* *Romæ* à summo Pontifice Subdiaconus, *Neapoli* Diaconus & Presbyter ordinatus, Tolosanum Episcopatum sibi absenti à Bonifacio Papa ultrò delatum acceptare noluit, priusquam Sancti Francisci institutum publicis votis profiteri concederetur. Quo in officio regii ortûs oblitus, omnem seculi pom-

pam procul à domo, & magis amoribus & affectu removebat. Sumptus necessariis usibus superfluos pauperum sustentationi designavit. Ut virginitatis suæ integritatem certiùs tueretur, teneros delicati corporis artus variè affligebat, asperitate vestium, vigiliis, jejuniis, curis & laboribus DEI causâ susceptis, vires attenuans, nodosóque fune lumbos præcingens carnem spiritui subjiciebat. Qua vitæ austeritate fracta ejus valetudo, attrito corpore viam animæ ad cœlum aperuit, quò febri correptus, anno 1219. feliciter evolavit. Sacræ corporis exuviæ Marsiliæ in Ecclesia Fratrum Minorum humatæ sunt, ubi præter plurima beneficia à claudis, cæcis, surdis accepta, rosa in ejus integritatis testimonium ex ore defuncti effloruit. Quem Sanctorum numero insertum, Carolus Rex Ungariæ Fratruelis Templo magnificâ operâ extructô, Cœnobióque Ordinis S. Francisci Religiosis *Lippæ* fundato veneratus est.

Vitam habet Surius 19. *Aug. Ribadeneyra S. J. Chronicon. Franciscan. part.* 2. *L.* 6.

S. MAR-

S. MARGARITA,
Scotorum Regina.

MARGARITAM duplici jure hiſce Sanctis adſcribimus ; primùm quidem, quòd primam in Ungaria lucem aſpexerit, tum etiam, ùt Bollandus adnotavit, Matrem Ungaram, nomine Agatham Edvardo Angliæ Principi conjugatam ſit ſortita. Neque obſtat, quòd Breviarii Lectiones Maternum ejus ſanguinem ad Cæſares referant, cùm ob frequentia inter Ungariæ Reges, & Cæſarum Filios Filiáſque mutuò connubia, regius Ungarorum ſanguis non incongruè Cæſareus dici poſſit. Quin Ungara Matre ortam fuiſſe vel inde credibilius redditur, quòd Pater ejus avito Scotiæ regno, à Canuto exulare coactus, quietis & tutelæ locum non alibi, quàm in Ungaria ſub regimine Sancti Salamonis Regis, qui Sophiam Henrici III. Cæſaris filiam matrimonio junctam habebat, quæſiverit. Margarita optimis morum præceptis innutrita, Malcolmo tertio Scotorum Regi nupta, inter re-

gales delicias corpus ne diffluëret vanitatibus, vigiliis illud, & jejuniis plurimis extenuabat. Divino cultui addictiſſima, eò conatus omnes intendebat, quî plurima DEO Templa, ejúſque ſervis Cœnobia, vel è fundamentis erigeret, vel erecta largiori cenſu locupletaret; tantò impenſiùs Divino cultui operam daturos rata, quò meliùs dotati, minùs rerum neceſſariarum curâ diſtraherentur. Charitate in proximos præſertim egenos, uſque ad profuſionem liberalis, è quibus trecentis quotidie materna benignitate dapes, & quidem flexis genibus, Chriſtum in iis reverita præbere, eorundem pedes regiis manibus abluere, & ulcera pure tabida oſculis fovere inter delicias numeravit. Tandem poſt acerrimos dolores mirâ conſtantiâ ſemeſtri toleratos, animam Creatori reddidit quarto Idus Junii. Miris poſt mortem prodigiis claram Officio Divino colere primùm Scotia, nunc tota Eccleſia cœpit.

Vitam habet Leslæus de geſtis Scotorum. Lectiones Breviarii Romani. Vide Bollandum 19. Januarii fol. 241.

S. DA-



S. David Rex Scotiæ, Filius S. Margaritæ Vngarâ Matre natæ obiit An. 1153.

Hoffmann sc.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

SANCTUS DAVID

Rex Scotiæ, Margaritæ Ungara Matre natæ Filius.

MArgaritam Ungara Matre natam fuisse suprà ex Bollando retulimus, quæ Malcolmo Scotorum Regi conjugata, DAVIDEM octo prolium ultimum peperit. Hic à Sancta Matre pientissimè educatus, eò sanctitatis, & singularis apud DEUM gratiæ evasit, ut editis multis miraculis in Divorum Societatem & numerum sit cooptatus. Inter alia piæ liberalitatis opera, quibus maternam erga pauperes profusionem æmulari pio conatu satagebat, Sedem Episcopalem *Murthlaco Aberdoniam* transtulit, & prædiis, aliisque proventibus amplificavit. Pietatis & liberalitatis exercendæ occasionibus intentus nullam omittebat opportunitatem. Fratre Alexandro defuncto ad thronum vocatus, ea moderatione aulam rexit, ut nihil ibi impudicum: non admissæ compotationes, nec flagitiosus quisquam toleratus. Unicum toto regni tempo-

re civilem tumultum potiùs, quàm bellum ſenſit, cæterùm pacificè res Scoticas undetriginta adminiſtravit annis. Uxore Mathilde Voldioſi *Hundintoricæ Northumbriæque* Comitis filiâ & hærede, in ætatis flore mortuâ, reſiduis pluſquam viginti annis cælebs, pietatis & juſtitiæ operibus intentus vixit, donec morte vitæ filum præcidente ad percipiendam ſanctè, piéque geſtorum mercedem, immarceſcibilem in Cœlo coronam evocaretur anno 1153. Diem ejus cultui ſacrum Camerarius undecimum Januarii, Dempſterus ex Schedis Ferrarii 24. Maji ponit, quâ ejuſdem etiam Bollandus tom. 5. Maji fol. 271. meminit.

Vitam habet Reüsnerus in Geneal. Princip. part. 2. fol. 27. Leslæus l. 6. de rebus geſtis Scot. fol. 223. Boët. l. 11. hiſt. Scot.

S. COLO-

S. COLOMANNUS,

Scotus, S. Margaritæ Ungara Matre natæ Filius.

TErtius, qui è Regio Scotorum sanguine Ungaricæ Sanctitatis hortum illustrat, flos Sereniſſimus Colomannus est, priùs dictus Edeltredus, qui pariter Sanctæ Margaritæ Reginæ Scotiæ è Matre Ungara natæ Soboles, post Malcolmi Patris obitum maximis in patrio regno dissensionibus exortis, natali solo pulsus, exul per varias regiones errare coactus est. Hac ille, ùt vulgus putat, infelicitate in spiritualis vitæ commodum uti volens, necessitate in virtutem, id est, exiliô in peregrinationem commutatô, *Jerosolymam* Religionis, venerandorúmque patientis Christi Mysteriorum causâ profectus, ingenti animi solatio Terram sanctam invisit. Unde redux cùm per Pannoniam superiorem iter ageret, in impiissimorum hominum manus incidit *Stokeraviæ*, qui eum idiomatis terris suis proprii minùs gnarum, ùt exploratorem,

rem, primùm tormentis crudeliter vexârunt, tandem etiam de robore ſuſpenſum interfecerunt. Cujus innocentiam & ſanctitatem plurimis DEUS poſt funeſtam hanc mortem miraculis tueri voluit; cùm enim corpus per ſeſquiannum ex arbore pependiſſet, non modò nulla tabe correptum non defluxit, ſed & recentem caro inciſione tentata ſanguinem dedit; quin & arbor, ex qua pretioſum pondus pendebat, nova folia germinavit. Quibus auditis Henricus Auſtriæ Marchio corpus ejus ex arbore deponi, & honorificè ibidem tumulari præcepit; cúmque longiori temporis tractu incorruptum manſiſſet, in Mellicenſi Divi Benedicti Cœnobio conditum, publicæ venerationi expoſitum eſt. Nec multos poſt annos regnante Petro Ungariæ Rege in Ungariam, fortè cognationis titulo, delatum, & inſigni cultu aſſervatum fuit, donec ſatagentibus, quorum intererat, priſtino iterum Monaſterio reſtitueretur.

Vitam habet Raderus S. J. part. 3. fol. 109. Surius 13. Octob. Inchoffer in Annal. Ungar. ad ann. 1012. fol. 299. & 366.

B. ELI-

B. ELISABETH,

Ordinis Prædicator. Stephani V. Regis Ungariæ Filia.

ELISABETH, fœcundum apud Ungaros sanctitatis nomen, fuit filia Stephani hoc nomine quinti Regis Ungariæ, ex Fenuenna Filia Zæmonusli *Cujaye* in Masovia Ducis, prognata. Hæc tenera ætate timorem & amorem DEI edocta, contemptis, quos Regium stemma polliceri poterat, splendidissimis thalamis, quadrimula sanctimonialium Ordinis Sancti Dominici Monasterium, in insula leporum prope *Budam* ab Avo paterno conditum ingressa, totam se divino cultui, rerúmque cælestium contemplationi immolavit; ibidem Amitæ suæ Sanctæ Margaritæ Virginis quâ institutione, quâ exemplô sanctam, & virtutum exercitiô plenam vitam duxit, donec Pontificis voluntate è Patrio solo, in aliud migrare permissa, Italiam petiit, ut quantò remotior à cognatorum alloquio abesset, tantò impensiùs spiritualium rerum tractandarum studio incumbere

bere posset. Monasterium Sancti Petri *Mediolani*, quod Maria Caroli Claudi Siciliæ Regis Conjunx, Regum & ipsa Ungariæ sanguis, Elisabethæ quippe, de qua agimus, uterina soror condidit, & liberaliter dotavit, in stationem delegit. Ubi multis à DEO illustrationibus donata, omni Virtutum genere, sed potissimùm humilitatis studio enituit. Vilissima domûs obsequia, infimæ ancillæ munia obire, mundare lances, cubicula everrere, focum inflammare numerabat in deliciis; quantò sibi vilior, tantò amplius à cœlesti Sponso dilecta, pro terrena æternam in Cœlo coronam merita, eò circa annum Domini 1285. 6. Martii evolavit. Sanctitas ejus pluribus post mortem prodigiis latè orbi innotuit.

Vitam habet Fridericus Steill. in Ephem. Dominic. 6. Mart. Sigism. Ferrar. de reb. Ungar. Ord. Præd. part. 2. L. 2. cap. 35.

S. CASI-

S. CASIMIRUS,

Electus Rex Ungariæ, Elisabethæ, Filiæ Alberti Ungariæ Regis Filius.

CASIMIRUS Poloniæ Princeps Angelicus, duplici Jure Ungariæ Sanctis accensendus venit; primùm quidem, quòd ex Elisabetha, Ungariæ Regis Alberti, filia prognatus, dein quòd à nonnullis Regni Proceribus in Regem Ungariæ electus sit; Jámque in Regnum inductus *Nitriæ* sedem fixerat, quia tamen Mathiæ jura involare, throni cupiditate, non voluit, æquitati causæ acquiescens, omni, quod ob sui electionem prætendere poterat, jure sepositò, in Patriam rediit, ac Ungariam pacificæ Mathiæ Regis gubernationi ultrò dimisit. Cæterùm ejus sanctitas latè orbi notior est, quàm ut ulla egeat commendatione. In jejuniorum frequentatione austerus, corporis sui domitor, assiduus passionis Christi contemplator, in promovenda Fide Catholica singulariter Zelosus, erga calamitosos profusissimus, virgi-

virginitatis demum, quam ab incunabulis illibatam conſervavit, fortiſſimus aſſertor, dum vitam amittere, quàm jacturâ virginitatis redimere præelegit. Sanctiſſimæ Virginis amoribus ab incunabulis addictiſſimus, quam ſingularis affectûs indice hymno: *Omni die dic MARIÆ mea laudes anima &c.* quotidie veneratus eſt, quem hymnum etiam poſt mortem ſecum tumulari expetiit, quam virtutibus & meritis, præ annis major, prænuntiato mortis die, annô milleſimô quadringenteſimô octuageſimô quartô, quartâ Martii, annô ætatis vigeſimô quintô piè obiit. *Vilnæ* tumulo illatus, ubi plurimis decoratur miraculis.

Vitam habet fusè Bollandus S. J. 4. Martii. Bonfin. hiſt. Ungar. dec. 4. L. 3. Cromerus.

S. ASTRI-



S. Astricq Archiep. Colocens. in Vngaria. Ord. S. Benedicti obijt an. 1034. 12 Nouembris.

DEBRECEN EGYETEMI KÖNYVTÁR

S. ASTRICUS, seu ANASTASIUS Episcopus Colocensis.

ASTRICUS cum Sancto Adalberto, ex Italia primùm in Bohemiam venit, ubi Breunovienſi Divi Benedicti Monaſterio Abbatis nomine Pater veriùs, quàm ſuperior præfuit. Inde à Sancto Stephano Duce, dein primo Rege Ungariæ, Viros ſanctitate & literaturâ conſpicuos ad populum ſibi ſubditum faciliùs in Fide Catholica inſtruendum, confirmandúmque deſiderante, in Ungariam accerſitus, cum ſociis aliquot ejuſdem Inſtituti Monachis comparuit. Ab amantiſſimo Religioſorum Rege amicè, ac ſummo cum honore excepti, qui pia eorundem converſatione mirificè delectatus, ut ſubditi regni ſaluti & emolumento ſpirituali ſe totos impenderent, enixè precatus, inſigni liberalitate Cœnobium iis ad radicem *montis ferrei* erexit, & Aſtricum, qui reliquis ſanctitatis præcepta voce & exemplô præberet, Abbatem præfecit; nec multò pòſt ob inſignem vitæ ſanctitatem, & doctrinæ præſtantiam inde ad Colocenſem Inſulam primus aſſumptus,

eam

eam ſanctiſſimæ vitæ exemplô, aſſiduis pro animarum ſalute laboribus meritíſque graviſſimis conſecravit, nihil inde ſibi aut honoris, aut utilitatis arrogans, felicitatem ſuam ſolâ DEI gloriâ, & ovium bonô metiebatur. *Romam* in graviſſimis Ungariæ negotiis miſſus, ea dexteritate apud Sylveſtrum Papam officiô ſuô functus eſt, ut ab eo Angelica monitione juſſo Coronam auream, Regis Apoſtolici titulum, & Crucem, quæ deinde in Regni totius inſigne aquilæ locò tranſiit, impetratam Sancto Stephano retulerit. Sebaſtiano, primo Strigonienſium Archi-Epiſcopo oculis capto, adminiſtrator trienniô ſucceſſit; ſemper orphanorum Patrem, & mœrentium aſylum ſe exhibuit, donec anno Domini 1034. 12. Novembris non minor ſeptuagenario, ad percipiendam laborum in cœlo mercedem evocaretur, dignus ab iis coli poſt mortem, quos ad vitam cœlo dignam erudivit in terra. Inter complura quæ fecit prodigia, etiam mortuum vitæ reſtituit.

Vitam habet Ranbeck in Ephem. Bened. Bucel. in 3. Decemb. in Menol. Bened. Inchoff. in Annal. Eccleſ. meminit etiam Bolland. 8. Jan.

B. SEBA-



B. Sebastianus ex Ord. S. Bened. primus Archiep. Strigoniens. obijt 30 Decembris.

DEBRECEN EGYETEMI KÖNYVTÁR

B. SEBASTIANUS,

Archi-Episcopus Strigonienſis.

SEBASTIANUS, Aſtrici tam in Religioſo Inſtituto, quàm in promovenda, per Ungariam, fide Catholica ſocius, in Cœnobio Divi Martini, quod in monte Pannoniæ in victoriæ, ope Divi Martini contra rebelles gentiles partæ, memoriam Divus Rex Stephanus recèns erexerat, monaſticam coluit; eâ virtute & Religione præditus, ut cùm Sanctus, & Apoſtolicus Rex Fidei Catholicæ in regno ſuo firmandæ ſtudioſiſſimus, binos Archi-Epiſcopatus, & Epiſcopatus denos munificentiſſimè ſtatuiſſet, júsque perpetuum iis præficiendi Præſules, ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto, accepiſſet, Sebaſtianum virum & ſanctitate & ſcientiis inſignem, Monaſterio exemptum in luce publica, ut luceret omnibus, conſtituit; dum primùm Strigonienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopum anno Chriſti milleſimo nominavit. Qui ob morum cultiſſimorum ſuavitatem, ob egregiam literaturam, maximè verò ob eximium virtutis

ſtudium omnibus, ſed Regi cumprimis acceptiſſimus erat, cum quo & conſilia communicabat, & pro pietatis, per Regnum, incremento ſalutaria multa ſtatuebat. Æquus enim perſonarum acceptor Stephanus, quos religioſiores invenit, chariores habuit, peculiari eos amore proſecutus, quos DEO credidit eſſe chariſſimos. Dum Eccleſiæ ſibi creditæ commodis ſolerter invigilat Sebaſtianus, præclaram tolerantiæ materiam reperit; nam utriuſque luminis orbitate affectus, Divinæ circa ſe voluntatis diſpoſitionem æquiſſimô tulit animô. Néve grex Chriſti adhuc novellus extra Paſtoris oculos poſitus, à via veritatis aberraret, Archi-Epiſcopatu ſe abdicare, eúmque, Romano Pontifice probante, in Aſtricum reclinare decrevit, inhonorus privatam vitam agere præeligens, quàm ut, ſe honorato, Paſtor populo deeſſet. Verùm trienniô evolutô DEI benignitate viſum, & Regis imperiô Archi-Epiſcopatum recepit, quem ſanctiſſimè uſque ad mortem, quam 30. Decemb. oppetiit, adminiſtravit.

Vide Inchoffer. Annal. Eccles. Ungar. ad ann. 1000. & & 1002. *Bucelin. in Menol. Bened.* 30. *Decemb.*

S. GERAR-

S. GERARDUS
MARTYR,
Episcopus Chanadiensis.

GERARDUS è Nobili & pervetusta Sagredorum familia *Venetiis* oriundus, DEIparæ Virginis interceſſione à Parentibus impetratus, non ſinè prodigio natus eſt. Puer in Cœnobio Sancti Georgii *Venetiis* erecto educatus, pietate ac literis egregiè excultus, eò apud ſuos æſtimationis cum ætate accrevit, ut in prædicto Clauſtro, Abbatis officiô, inſigniretur; quod tamen paucos poſt annos, reluctantibus licèt ſubditis, à ſe removit, faciliùs eſſe ratus unam ſui, quàm multorum rationem DEO reddere. Tanto onere poſito expeditior, in Terram ſanctam proficiſci parat, cúmque, DEO ità diſponente, Ungariam tranſit, *Quinque-Eccleſiis* primùm à Beato Mauro, ejus Urbis Epiſcopo ingenti gratulatione exceptus, ab eodem, ob præclara ſanctitatis & eruditionis ſpecimina, ad Sanctum Stephanum Regem, ejuſmodi Virorum cupidiſſimum, deductus, adeò honorificè à

Rege acceptus est, ut filio suo Emerico vitæ morúmque arbiter sit constitutus; morem ille regiæ voluntati gessit, quia tamen privatam vitam aulicæ præoptabat, postquam Emericum optimæ vitæ exemplis, & salutaribus documentis satis informâsset, in eremum *Beel* dictam secessit, ubi septennium in summa asperitate, & vigiliis egit, vitam ibidem concluſurus, nisi ad *Chanadienſis* Eccleſiæ infulam capeſſendam coactus paruiſſet, quam ille, ſuos ad omne Virtutis genus, ſed ad peculiaris Ungariæ Dominæ DEIparæ cultum potiſſimùm adhortatus, feliciter uſque ad Divi Stephani obitum geſſit; Sed hôc vivis ereptô, multíſque ad gentiliſmum redeuntibus, in Fidei Catholicæ odium prope *Budam* anno 1047. 24. Septembris lapidibus obrutus, & haſtis confoſſus, mortem, quam pridie prædixerat obiit, montíque Urbi adjacenti nomen dedit. Ejus translationis dies 23. Februarii agitur.

Vitam habent: Trithem. in Indice Virorum illuſt. Ord. S. Bened. L. 3. c. 239. Inchoffer S. J. in Ann. Ungariæ ann. 1047. Propr. SS. Ungariæ.

S. BUL-



S. Buldus. M. Episco. Agrien. pro fide lapidibus et gladijs occubuit Budæ Ao 1047. 24 Sept.

Hoffmann fec.



SANCTUS BULDUS
MARTYR,
Episcopus Agrienſis.

QUi meritorum ſuffragiô, apud Divum Stephanum, perorante Agrienſe n Epiſcopatum accepit, pro Fidei, & ejuſdem Eccleſiæ defenſione bonus Paſtor animam poſuit Buldus. Dum enim poſt Divi Stephani obitum, atra errorum gentilium nox iterum Ungariam obtegeret, ſimúlque crudelis in Fidem Catholicam tempeſtas jam crebra fulmina intorqueret, de ſe, rebúſque ſuis minimè ſollicitus, ſed gregem curæ ſuæ creditum pro virili tueri, muneris ſui eſſe ratus, medio ſe objicit diſcrimini, indemnitatem ſuis, ab Andrea, & Leventa conſtitutis Regibus impetraturus properat. Verùm aliter Divinæ Providentiæ viſum; dum enim ſuis ſecuritatem quærit, degenerem à Fide Catholica Sicariorum furorem invenit, à quibus *Budæ* lapidibus primùm impetitus, cùm his fortior perſiſteret, gladiis demum lan-

ceísque confossus, invocato JESU Filii DEI nomine, pretiosam Cœlo animam transmisit. Nec diu tamen impunitum DEUS sivit hoc scelus; nam & Leventa, cujus ambitio hujus in rem Catholicam furoris susscitatrix fuit, & reliqui sceleris administri pessima brevi morte consumpti, perpetuum posteris facti sunt documentum: Nunquam impunè sacratos DEO viros impeti; ut enim hi pro DEI gloria constanter desudant, ità ille vindicandæ horum innocentiæ vigil semper excubat. Andreas verò Rex facti tam atrocis pœnitudine tactus, quòd in tam perturbato rerum statu Catholica Sacra non pro virili, ùt debebat, tuitus sit, reliquo vitæ tempore instanter detestatus, veniam impetravit, auctaurus indubiè miserè morientium catalogum, nisi maturè aliorum casu respuisset.

Vide Inchoffer in Annal. Ecclesiast. ad ann. 1047. *Bonfin. rerum Hungar.*

S. BEZ-



S. Beztertus. M. Episco. Nitrien. à gentilib. Vngaris Pesthi pro fide occisus. Ao 47. 25 sept.

Hoffmann sc

DEBRECEN EGYETEMI KÖNYVTÁR

S. BEZTERTUS
MARTYR,
Episcopus Nitrienſis.

BEZTERTUS ob præclara eximiæ virtutis & doctrinæ merita, quæ ſola in beneficiorum Eccleſiaſticorum diſtributione conſideranda ſtatuit Rex Apoſtolicus Divus Stephanus, ad Eccleſiæ *Nitrienſis* pedum Antiſtes evocatus, oves ſuas doctrinâ fidei, optimis morum præceptis, ſed exemplaris vitæ ratione cumprimis & à malis arcebat, & ad optima quæque hortabatur, ingenti laboris, ùt fructu, ità ſolatio, donec gravis in Catholicos tempeſtas poſt obitum Divi Stephani inſurrexit; hìc enim paganis adhuc addicti ritibus, Andream, & Leventam ea lege Reges nominant, ut, Catholicis omnibus ſacris abrogatis, priſtinum gentilitatis uſum in patriam reducant. Nec abnuunt illi conditioni ſubſcribere; quid enim regnandi libido non extorquere poſſit ab ambitioſis? Quare poteſtate à novis Regibus acce-

ptâ, impunè illi, in Catholicos quidem omnes, sed in sacrorum Antistites maximè sævire. Misertus chari gregis Beztertus, habitô cum reliquis Ungariæ Antistitibus consiliô, Reges adire, impunitatem Catholicis deprecaturus constituit; Verùm priùs gentilium manus incurrit, qui eum, dum transmissô *Budæ* danubiô *Pesthum* appulisset, multis vulneribus miserè confecerunt. Quo in rerum articulo, animô minimè vulneratô, se pro nomine JESU contumeliam, & mortem pati gaudebat, hilaritatem vultu ipso testatus, donec die postera, id est, 25. Septemb. anno 1047. fortiter, ac gloriosè occubuit. Nec inopina ei hæc mors accidit, utpote ad quam, ex vaticinio Sancti Gerardi pridie factâ, præcognitam, se ritè disposuit.

Vide Inchoffer S. J. in Annal. Eccles. Ungar. ad ann. 1047. Bonfin.

B. MAU-



B. Maurus ex monasterio S. Martini ord. S. Bened. Episc. Quinque Ecclesiens in Vngaria.

DEBRECEN EGYETEMI KÖNYVTÁR

B. MAURUS,

Episcopus Quinque-Ecclesiensis.

MAurus Monachus Ordinis Sancti Benedicti, ex Italia in Ungariam profectus, inter primos Cœnobii Sancti Martini in *Sacro Monte Pannoniæ* erecti, Fratres vixit, omni quidem Virtutum genere, singulari tamen virginitatis prærogativâ insignis. Præclarum hujus documentum patuit, dum Sanctus Stephanus Rex, pro suo in Religiosos omnes affectu, dictum Cœnobium cum Filio Emerico invisurus, Religiosos obviàm longo agmine salutaret; hìc námque Emericus de singulorum meritis & vitæ puritate cœlitus edoctus, uni duo, alteri tria, nonnullis quinque, uni Mauro septem oscula fixit. Miratus Filii actionem Pater, tam disparis affectûs causàm ex eo clàm inquirit, & intelligit se pro modo & tempore servatæ continentiæ cuique libâsse oscula; Maurum sibi, quod perpetuam castitatem, & intemeratam Virginitatem custodîsset, præ reliquis chariſſi-

mum esse. Magnam hìc Divus Stephanus de Mauro tam candido concepit opinionem, quæ tum ampliùs crevit, dum Fratrum vigilias & preces exploraturus incognitus Rex, clàm omnibus, tacitéque chorum ingressus, reliquis post Matutinum ad lectulos abeuntibus, Maurum Divinis intentum, / támque altè absorptum reperit, ut nullum ab eodem etiam sollicitato responsum habere potuerit. Virtutem ejusdem periclitaturus, die postera Cœnobium repetit, ínque Fratrum adstantium coronâ, quæcunque ab homine Religioso aliena comminisci potuit, in Maurum de industria congerit, hypocriseos insimulat; cúmque hæc omnia patienti silentio ille exciperet, nec ullum excusationis indicium aut voce, aut nutu reponeret, ejus Virtute delectatus fucum ponit, eúmque Episcopatui Quinque-Ecclesiensi præficit.

Vide Manard. L. 2. Observ. in Martyr. Bened. 4. Decembr. Surium eodem die. Bonfin. Decade 2. L. 2. Inchoffer, S. J. ad ann. 1015.

B. AUGU-

B. AUGUSTINUS,
Episcopus Zagrabiensis.

AUGUSTINUS CAZOTTUS, quem Ungarum fuisse natione, post plures, Ferrarius de rebus, in Ungaria ab Ordine Prædicatorum, gestis asserit, in adolescentia Ordinem Sancti Dominici ingressus, Religione, austeritate vitæ, cæterisque Virtutibus omnibus adeò excelluit, ut inter præstantissimos quà sanctitate, quà eruditione sui temporis Viros jure possit numerari. Primò in Italiam, deinde Parisios studiorum altiorum causâ missus, ingenii præstantiâ & laboris assiduitate maximam sibi in Philosophicis, & Theologicis quæstionibus eruditionem comparavit. Inde reversus, cùm Philosophiam & Theologiam discipulis prælegendo, & verbo DEI populum erudiendo, annos aliquot, non sinè ingenti audientium emolumento, posuisset, à Benedicto XI. Zagrabiensi Ecclesiæ Antistes præpositus, eam sanctissimè vigilantissiméque administravit, ac pro communi totius regni pace,

ac

ac emolumento indefessus laboravit, donec post 17. annos, factiosorum hominum æmulationes declinaturus, Italiam repetiit, ad *Lucerinam*, in *Appulia*, Ecclesiam regendam per Joannem XII. P. translatus, ei cum maxima eruditionis, misericordiæ, pietatis, omniúmque Virtutum famâ tredecim annis præfedit, demum meritis & annis plenus, annô 1332. die Augusti 3. laborum præmia percepturus migravit in cœlum. Cujus sanctitatis memoriam Officio Divino coli Ecclesia indulsit.

Vitam habet Sigism. Ferrar. p. 2. L. 1. c. 10. Tomeus in Sancti Illyric. Plodius p. 1. L. 1. colum. 241.

S. PAU-



S. Paul, Vngari, Primus Ord. Præd. in Vngaria Provincialis. Martyrio affectus circ. An. 1242. 10. Feb.

Hoffmann sc.

DEBRECEN EGYETEMI KÖNYVTÁR

S. PAULUS,

Ungarus, Primus Ordinis Prædicatorum in Ungaria Provincialis.

PAULUS, Nobilibus in Ungaria parentibus editus, juventutem probitati & literis addixit, harum ut uberiorem cognitionem assequeretur, Italiam adiit, & *Bononiæ* eo profectu studuit, ut Juris utriusque Doctor, & publicus Juris Canonici Professor constitueretur, quod pluribus annis, magnô plurimorum emolumentô, docuit. Cùm verò Sanctus Dominicus multos ibidem prædicatione ad se attraheret, Paulus eorum exemplô motus in ejusdem Ordinem admitti ùt petiit, ità impetravit anno 1221. Sub tanti Patris disciplina ità profecit, ut eôdem adhuc annô cum Beato Sadoch, & tribus Sociis, in Ungariam Ordinem transtulerit. Zelô fervens, eruditione clarus, eloquentiâ insignis, primus ex hoc Ordine Ungaricæ gentis Apostolus, & Dux Verbi DEI destinatus venit. In Urbe *Lauria*, sive *Jauria Jaurino* legendum, adeò ferventer

ter concionatus est, ut præcipui, benéque docti tres Juvenes, ad eundem Ordinem susci pi supplicaverint. Ibidem & *Wesprimii* Conventum erexit. Ad Cumanos, ut Fidem iis prædicaret, dum parat, primùm pulsus, iterum aditum, & animos eo successu tentat, ut duos primarios eorum Duces, Brutum nempe & Bibrech cum mille aliis baptizaverit; secundum Andreas Rex Ungariæ ex baptismo levavit. Viginti circiter anni jam effluxerant, quibus Paulus Cumanos & Ungaros Legem DEI edocuerat, cùm Tartaris Ungariam populantibus, & servos DEI persequentibus, cum nonaginta sociis ad Templum confugit, ubi eadem omnes clades involvit, barbaro furore interemptos. Paulus hastis confossus, confracto capite, primus Cumanorum Apostolus, triplicem Martyrii, Doctoratûs, & Virginitatis laureolam adeptus, circa annum 1242. 10. Februarii occubuit.

Vitam habet Sigism. Ferrarius fusè. Chronicon Ordin. Malvenda Frider. Stiell. 10. *Februarii.*

B. EUSE-

B. EUSEBIUS,

è Canonico Strigonienſi primus Ordinis Sancti Pauli 1. Eremitæ Provincialis.

EUSEBIUS Strigonii nobili progenie ortus, ab ipſis incunabulis futuræ probitatis luculenta dabat argumenta. Adoleſcens bonis literis excultus in Canonicorum Metropolitanæ Eccleſiæ Strigonienſis numerum, ſuffragantibus eruditionis, & pietatis meritis, eſt cooptatus. Qua in dignitate operibus miſericordiæ præcipuè intentus, multos ex Eremi ſectatoribus, ſtipis corrogandæ causâ urbem petentibus, attraxit, quorum vitæ auſteritate permotus, eorum & ipſe veſtigiis inſiſtere decrevit, impetratáque à Metropolita diſcedendi veniâ, deſerto Canonicatu, anno 1246. eremum *Piliſienſem*, juxta ſpeluncam triplicem petiit, ubi curis expeditus ſibi, DEÓque per orationem uberiùs vacare, totúſque perfectionis ſtudio incumbere cœpit. Dum orationi nocte quadam ferventiùs inſiſteret, ignes

ignes aliquos, per sylvam dispersos discurrere, & demum flammulas omnes in unam confluere, lucémque, meridie ipso clariorem efficere miratur, tacitóque simul Spiritu admonetur, vagis illis per sylvam flammulis Eremicolas notari, quos DEUS in Cœnobiticam vellet vitam congregari. Quod ille portentum DEI monitionem esse interpretatus, convocatis, quos propiùs habuerat, sex sociis, Ecclesiam Sanctæ Crucis in *Pilisio* dictam, dein Monasterium erexit, & Cœnobiticæ vitæ initium 1250. fecit, ejus Ordinis primus Provincialis electus; confirmationem vitæ hujus, sub Regula Sancti Augustini instituendæ, à Sede Pontificia petiturus, *Romam* proficiscitur, ídque, collaborante Divo Thoma Aquinate, qui tum *Romæ* agebat, impetrat, ut causa hæc Paulo *Wesprimiensi* Episcopo cognoscenda committeretur. Vicenos regimini annos dedit, quibus optimè actis, anno 1270. 20. Januarii, innocentem animam cœlo dedit.

Vitam habet Andr. Eggerer. in reliquiis Annal. & Cœnobit. L. 2. c. 3. meminit etiam Sigism. Ferrar.

S. AN-

S. ANDREAS ZOËRARDUS,
Eremita Trenchinii.

ZOËRARDUS rusticis parentibus ortus, obscuros natales Virtutis nobilissimæ claritate illustravit. Eremiticæ vitæ amore raptus, cùm sub Sancti Stephani Ungarorum Regis tutela nomen Religionis Catholicæ, virósque DEI obsequio addictos florere, multósque eò viros à sanctitate claros confluere intelligeret, ex eorum exemplo fervorem, & profectum hausturus, ex Polonia eò commigravit, ac à Philippo Abbate, qui Monasterio *Zobor* in *Nitrienſi territorio* à Sancto Stephano, honori Sancti Hyppoliti Martyris condito præerat, benevolè acceptus, ùt Religionis habitum accepit, Zoërardi nomen cum Andreæ commutavit, ut vel nomine ipso ad amorem Crucis admoneretur. Tyrocinio ad *Nitriam* posito, sanctioris magísque recollectæ vitæ amore ad cavernam rupis *Skalka*, haud procul *Trenchinio* supra ripam Vagi fluvii sitæ se recepit, vitámque Eremiticam in austeritate, miráque corporis maceratio-

ne egit. Sæpius integrô triduô, cibô omni impastus vixit; quadragesimale jejunium vernum, quadraginta solùm nucibus contentus, exegit, cui aliud insuper totidem dierum jejunium adjecit. Orationi dies noctésque addictissimus, vix ullam fesso corpori quietem indulgebat. Truncum enim quercinum ea arte circumdedit, ut omni parte ligneos clavos, acutásque arundines infixerit, ut si somno indulturus corpus in aliquam partem reclinare vellet, arundinum acumine sauciatum, ad continuandas preces evigilaret. Circulum pariter, cui è quatuor partibus totidem lapides alligaverat, circa caput suspendit, ut quamcunque in partem caput sopor declinaret, lapidis ictu excuteretur. Cilicii locò, catenâ ferreâ latus cinxit, quam carne exesa, usque ad costas penetrâsse, post mortem innotuit. Conditus est *Nitriæ* in Templo S. Emerami, à Beata Gizela, S. Stephani Conjuge fundato. Andream Sanctis suis & Benedictini, & Camaldulenses, & Pauli primi Religiosi vendicant. Nolim judicem agere. Dies ejus colitur 27. Julii.

Vitam habet Surius, Inchoffer S. J. ad ann. 1009. Proprium SSrum. Ord. Camaldul. Ranbeck Ord. S. Ben.

S. BENEDICTUS
MARTYR,
Eremita Trenchinienſis.

BENEDICTUS, Sancti Andreæ Zoërardi in paris vitæ inſtituto ſocius, ſed in Religioſæ vitæ perfectione diſcipulus, ùt optima ſanctitatis præcepta, ità & normam ab eodem accepit, cujus exemplô ad auſterioris vitæ rationem, & ſolitudinis amorem accenſus, eandem prope *Trenchinium*, ad *Skalkam* ſpeluncam incoluit, pari abſtinentia, vigiliis, & oratione Magiſtri ſui veſtigiis ex æquo inſiſtere conabatur. Etiamnum ſpelunca illa, Benedicti incolatu, ſacra, & manuum, ſub precibus, extenſarum frequenti attactu cavata, perpetuum pietatis exhibet monumentum. Tribus, poſt Zoërardi obitum, annis, latrones magnam apud eum auri vim latere ſuſpicati, ejus potiundi cupiditate ducti, Benedictum adoriuntur, raptant, & ad ripam fluminis *Vagi* miſerè jugulatum in præterfluentem præcipitant. Ab accolis ejus

ſanctitatis conſciis, diu quæſitum corpus, nec inventum; donec aquila, per integrum ab ejus cæde annum, ſuper ripam *Vagi* eôdem ſemper locô conſidens, & quaſi vigilans obſervata ſuſpicionem fecit, ſacras Benedicti Exuvias, ab eadem cuſtodiri. Urinatorem proinde, ſub aquas mittunt, útque in Beati Viri corpus inquirat, jubent; nec ægrè is, quod quæſivit, reperit, ac in proximum littus extraxit. Mira res! corpus annô ſolidô, ſub aquis hærens, adeò recens, & integrum permanſit, quaſi paucos ante dies obiiſſet; quod ut admirationem movit, ità ingentem Benedicto Sanctitatis opinionem conciliavit. Conditum eſt ſacrum Corpus in Baſilica Sancti Emerami *Nitriæ* eôdem ſepulchrô, in quo oſſa Magiſtri ejus Zoërardi ſervabantur, ut quos par vitæ ratio vivos conjunxerat, etiam mortuos tumulus idem conſervaret.

Vitam habet: Ranbeck in Kalend. Bened. 1. Maji. Surius. Inchoffer S. J. ad ann. 1002. Bucel.

B. MAU-

B. MAURITIUS CSÁKI,

Ordinis Prædicatorum.

MAURITIUS, Illustrissimo apud Ungaros Csákiorum genere oriundus, Magnæ DEI Matris, Matri ejus gravidæ, comparentis vaticiniô, DEO, & hominibus charus futurus prænuntiatus est. Infantiam egressus, eum, in politiori literatura, profectum fecit, ut semper primas pietati, & cæterarum Virtutum exercitiô daret. Tempus, quod à literarum studio reliquum erat, orationi, vel piæ cum Religiosis conversationi, cujus avidissimus erat, tribuebat. Fratrem quendam, ex Ordine Prædicatorum, in Castro patrio commorantem, flexo humi poplite supplex rogavit, ut sibi de Sanctorum exemplis quidpiam enarraret; cui cùm ille morem gereret, ea aviditate, de vita & moribus virorum sanctitate illustrium differentem audivit, ut in uberes tenerrimi solatii testes lachrymas erumperet, simúlque Religiosæ vitæ, ubi ætas facultatem concesserit, adeundæ propositum animô conciperet. Quod licèt ille annis

jam major exequi ſtrenuè laboraret, paternô tamen imperio prohibitus, & vel invitus cum Amadei Regni Ungariæ Palatini filiâ deſponſatus, diſtulit conſilium, non mutavit. Trienniô quippe cum conjuge ſanctiſſimè acto, ità inter eos mutua voluntate convenit, ut illa Monialium Clauſtrum ingrederetur, ipſe verò in Ordinis Prædicatorum Cœnobio ſe abderet. Jámque in proximo erat, ut meditata vota darentur executioni; verùm re Amadeus Palatinus cognita, Mauritium, cùm aliter ab incepto revocari non poſſet, carceri mancipavit, eíque libertatem, non animum ademit. Carcere námque annô & dimidiô detentus, cùm nihil dimoveretur, quod conceperat, exequi permiſſus, integris 30. Religioſæ vitæ annis eſu carnium abſtinuit. Ut corpus ſpiritui ſubjiceret, illud ciliciô diu noctúque geſtato coërcebat. *Vaciæ* Templum noctu foribus clauſis penetravit, ibíque inuſitato circumfuſus lumine noctem inter preces egit. *Jaurini* demum 1336. 20. Martii vitam ſancta morte concluſit, miraculis ante, & poſt mortẽ Thaumaturgus.

Vitam habet: Boll: fusè 20. Martii fol. 251. Sigis. Ferra. Ord. Præd. in Ann. Ung. Frid. Stiell. in Ephem. Dominic.



B. Busadius Banffy Ord. Præd. Palatini Vng. filius, à Tartaris occisus an 1243. Sigis. Ferra.

DEBRECEN EGYETEMI KÖNYVTÁR

BEATUS BUZADUS
BANFIUS MARTYR.
Ordinis Prædicatorum.

BUZADUS è nobiliſſima Banfiorum familia Vir per Ungariam potentiſſimus, ætate jam grandior perituraram opum, & honorum pertæſus, relicto filiis principatu, Religioſam vitam in Ordine Prædicatorum circa annum 1233. magno cum fervore inchoavit. In quo, quia egregiam literaturæ notitiam jam antè ſibi comparaverat, ſtrenuus Divini verbi prædicator audivit. Cùm Tartari in Ungariam irrumpentes, in DEI ſervos acriter deſævirent, & Cœnobii Præſes ſubditos curæ ſuæ commiſſos fugâ ſalutem, quærere juſſiſſet, ut contempto vitæ diſcrimine, in populi Chriſtiani ſolatium ibidem ſibi ſubſiſtere liceret, ſupplex Priori factus Buzadus, adeò conſtanter inſtitit, ut vel ab invito conſenſum extorſerit. Impetratâ igitur manſione, ſociiſque in tutiora delapſis, certus pro Chriſto mortem oppetere, ad pares auſus populum hortabatur. Cúmque jam

in proximo fera gens Tartari popularentur omnia, pusillo Christi grege salutaribus monitis ad mortem pro Christo gloriosè, si occasio daret, oppetendam animato, ipse in Ecclesia ante aram in modum Crucis extensus, orationi & lachrymis insistens, se in victimam & holocaustum immolabat, quo in ritu à Barbaris 8. Decembris, anni 1243. interemptus est; & Fratribus detumescente Barbarorum furore, ad sua revertentibus, lanceis confossus, & capite diminuto exanimis repertus, dolorem auxit. Cùm eorum unus iniquam, ut ipse quidem rebatur, Buzadi sortem multis lachrymis jam à triduo impastus, & insomnis prosequeretur, raptus in extasim, occisum, quem tam inconsolabiliter deflebat, sibi dicentem audivit: *Nonne oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam. Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Quibus ille monitus, non ampliùs compati, sed congratulari Buzado perrexit.

Vitam habet: Sig. Ferrar. p. 1. cap. 7. Frider. Stiell. in Ephem. Dominic. 8. Decemb. Leander L. 2. pag. 57. Malvenda an. 1243. Plodius p. 1. L. 2. fol. 332.

BEATA HELENA VIRGO,

Ordinis Prædicatorum.

HELENA, natione Ungara, in aſcēterio Sanctæ Catharinæ pro Sanctimonialibus, Ordinis S. Dominici, ad añum 1222. *Weſprimii* erecto, Religionem profeſſa, ibidémque Beatæ Margaritæ, Belæ IV. Ungariæ Regis filiæ, in virtutibus Magiſtra, uſque ad prodigium admiranda ſanctitate conſpicua vixit. Teſtatam ejus vitæ ſanctitatem Chriſtus voluit, dum in amaræ Paſſionis ſuæ contemplatione defixæ, vulnerum ſuorum ſtigmata in manibus, & dextero latere mirabiliter impreſſit. Frequentiùs, cùm orationi vacaret, quod prolixè agere conſueverat, corpore in aëra ſublevata, cœleſtis muſicæ ſonô circùm reſonante recreabatur, tantis perfuſa ſolatiis, ut eorum incapax corpus ſenſibus, & viribus deſtitueretur. Sanctos eâ teneritudine colebat, ut eorum alloquium ſit promerita. Dum nocte concubiâ in extaſi con-

ſtituta oraret, ænea Chriſti cruci affixi imago Cruce ſponte revulſa, ínque Helenæ amplexus delapſa, nulla vi accurrentium ſororum ab ejus brachiis avelli potuit, donec ipſa circa meridiem diei ſequentis ſibi reddita, eam veteri loco repoſuerit. Ingenti devotionis ardore flagrabat in ſanctiſſimum Corporis & Sangvinis Domini myſterium; cujus ſumendi facultatem, cùm quadam vice à Confeſſario non impetrâſſet, tantô ejus deſideriô exarſit, ut Chriſtus ipſe viſibilis ei factus Euchariſtiam porrexerit. Spiritu Prophetiæ clara, gratiâ ægritudinum curandarum donata, ſolo contactu corporum fugabat morbos, herbas aridas pariter attactu virori reſtituebat, quas tamen, ne ab aliis obſervatæ ſibi ſanctitatis opinionem conciliarent, illicô convellebat. Morituræ magno Cœleſtium comitatu ſpectabilis Chriſtus occurrit, & ad Beatam immortalitatem, 9. Novembris 1270. evocavit, multísque poſt mortem miraculis illuſtravit.

Vitam habet: Sigiſm. Ferrar. p. 2. L. 2. cap. 1. Ferdin. Caſtillo L. 2. cap. ultimo Frid. Stiel. in Ephem. Domin. Bzovius ad an. 1270. num. 16.

B. AN-

B. ANTONIUS,

Tertii Ordinis Sancti Franciſci.

ANTONIO, Ungaris Parentibus nato, ſuſcepta *Romam*, jubilæi obtinendi causâ, peregrinatio initium ſanctitatis fecit. Ibi enim complures annos venerandis Apoſtolorum liminibus, & Sanctorum Lipſanis intentus, vitæ perfectioris deſiderio accenſus, tertii Ordinis Sancti Franciſci habitum, & leges ſuſcepit, coluítque. Inde Sancti Legislatoris ſui Franciſci ſepulchrum viſurus, *Aſſiſium* venit, peractaque devotione redux, dum *Fulginii* tranſit, in morbum incidit; ad Xenodochium Sancti Spiritûs ibidem admiſſus, eam charitatem expertus eſt, ut ex ejuſdem admiratione vehementer inflammatus, ſe, ſi DEUS vitam prorogaret, in iiſdem miſericordiæ, in peregrinos infirmos, operibus exercendis vitam acturum voto firmaverit. Placuiſſe votum cœlo, eventus oſtendit; Sanitati enim redditus, uberem propoſiti, in opus deducendi, campum eſt nactus, nec minùs fecit ille, quàm ſpoponderat; ſanus quippe

pe jam non sibi, sed aliis propter DEUM vivere certus, totos ægrorum obsequiis dies & noctes impendit. Nemo illô erga infirmos benignior, plùs sollicitus nemo; quos ùt mater filios amantissimè fovebat, blandè solabatur, & juvabat, donec virtutem ejus adversis perficere volens DEUS, gravissimis iterum morbis invisit, quos ille non constanti tantùm, sed & hilari patientiâ tulit, nunquam de dolorum, vel gravitate questus, vel diuturnitate. Annis demum, & meritis gravis anno 1398. 13. Maji, dolorum & laborum præmium, piam mortem obtinuit. Corpus ejus in Xenodochii, cui serviêrat, Sacello conditum, continua populi accurrentis devotione celebratum est. Quæ in Antonium devotio plurimùm sumpsit incrementi, dum anno 1608. corpus ejus tot priùs morbis putridum, nunc integrum illæsúmque apparuit; quod nobiliori tumbæ impositum, in principe Templi arâ publico omnium cultui propositum fuit, DEO, plurimis per intercessionem Servi sui Antonii, benefaciente.

Vitam habet: Bolland. 13. Maji fusè fol. 252. Ludov. Jacobillus L. de Sanctis. Fulginat. Wading. to. 4. an. Minor.

BEATUS JOANNES,

Ordinis Prædicatorum Ungariæ Provincialis, Episcopus Bosnensis.

JOANNES, ex oppido *Wildesheimensi*, Diæcesis *Osnaburgensis* oriundus, Adolescens, ingeniô præstanti studia Philosophica, Jus Civile, & Canonicum emensus, Doctoratûs laureâ insignitus, Friderici secundi, Romanorum Imperatoris amorem, & benevolentiam promeritus, ingentem sibi pariter apud Pontificem, cujus Pœnitentiarium egit, æstimationem conciliavit. Quos ille favores Divino posthabuit, dum Ordinis Prædicatorum habitum, à DEIpara sibi ostensum, DEO posthac famulaturus assumpsit; cujus notitiam ut etiam aliis communicaret, ad prædicandum Ungaris Evangelium accensus, id ea commendatione, & fervore præstitit, ut totius Ordinis per Ungariam Provincialis constitutus, eum charitate, mansuetudine, & vigilantiâ summâ gubernaverit, & exempli potissimùm vi, ad Fidem Christi disseminandam animaverit. Cujus Zeli fama

ubi

ubi *Romam* attigit, Gregorii IX. Papæ jussu Joannes ad Episcopatum *Bosnensem* invitus licèt, ac renitens promovetur. Quem eâ in pauperes liberalitate administravit, ut Cantipratano, qui ei amicissimus erat, attestante, cùm plusquam octo millia marcharum argenti, in annuis redditibus numeraret, præter modicam ejus partem usibus domesticis destinatam, reliquum omne in pauperes erogaverit. Pastoralis curæ officiis fessus, ut Episcopatûs onere liber quieti Religiosæ se reddere posset, multis precibus laboravit, & verò etiam impetravit. Sed mutavit laborem, non deposuit. Cùm enim nota omnibus viri sanctitas, nunc hac demissione clariùs innotesceret, communibus votis, quartus Ordinis Prædicatorum Generalis anno 1241. est constitutus, in quo munere, post Ordinem undecim annis optimè gubernatum 1253. 4. Novembris *Argentinæ* ad æternam quietem vocatus, ante & post mortem miraculis clarus, occubuit.

Vitam habet: Sigism. Ferrar. de reb. Hungar. p. 2. L. 1. Chron. Ordin. Frider. Stiell. Ephemer. Dominic.

S. PILI-



S. Pilgrinus Ep.us Laureacens. a Geyza Vngarorum Duce in Vngariam vocatus, hunc ei 5000. Vngarorum baptizavit.

S. PILIGRINUS,

Episcopus Laureacensis, Ungariæ Apostolus.

GEyza ultimus è Ducibus Ungariæ, adhuc gentilis, ubi lumen aliquod veræ Fidei hausit, totus in eo erat, ut Catholicos è vicinis Provinciis in Ungariam evocaret. Ante omnia ad PILIGRINUM Laureacensem Episcopum literas dedit, eúmque, missa honorifica legatione, ut se in Ungariam transferret, ac populo legem DEI interpretaretur, invitavit: Addens: animo sibi jam fixum esse, Christum publicè profiteri, libertatémque se daturum omnibus, ut cuilibet ad Catholica Sacra transire liceret, pollicebatur. Quòd verò præ reliquis Piligrinum Dux evocaverit, primùm quidem Viri hujus sanctitas passim celebris, & miraculis ipsis contestata permovit; deinde verò, quod à quibusdam acceperat Piligrinum, ob favores, Majoribus ejus ab Ungaris præstitos, aliquâ gratitudinis obligatione ejusdem nationis hominibus obstrictum teneri; rebatur

tur proinde libenter hanc à Piligrino gratiæ exolvendæ occasionem arripiendam. Nam cùm Rudigerus de Pechlarn, vir celebris, ex cujus prosapia Piligrinus originem duxit, limitibus imperii *Pannoniam* versùs præsideret, Henrici Imperatoris, nescio qua de causa, odium meritus, hujus indignatione præfecturâ motus, in exilium ad Ungaros abiit; hìc diu commoratus beneficia multa recepit. sícque gratitudinis obligationem, in posteros transmisit. Id Geyzæ humanô judiciô res metienti spem fecit, Piligrinum tam amicam invitationem non detrectaturum. Cùm interea Piligrinus non humana ratione, sed pro officio, quod *Laureacensibus* Episcopis, Pannoniæ in rebus Religionis providendi incumbebat, illico advolavit; Geyzam primùm, ac breve intra tempus 5000. Ungarorum sacro fonte abluit, sedulus in omnibus Ungariæ primùm converti cœptæ Apostolus. Colitur ultimâ Maji.

Vitam habet: Raderus S. J. in Bav. San. part. 3. fol. 81. Inchoffer S. J. in Ann. Eccles. ad an. 991.

S. ADAL-

S. ADALBERTUS

Pragensis Archi-Episcopus, Ungariæ Apostolus.

ADalbertus natione Bohemus, nobili stirpe in multarum gentium salutem genitus, quamprimùm firmior ætas concessit, literarum & imprimis virtutum studio, & profectui intentus, præclarum, convertendorum ad Christum infidelium, zelum à teneris conceptum, tota residua ætate fovit. Voitechus in baptismo dictus, ab Alberto *Magdeburgensium* Antistite, ad quem educandus missus fuerat, in confirmatione Adalberti nomen accepit, quod ei deinde potiori in usu fuit. Diethmaro *Pragensi* Præsule vivis exemptô, vacante sede eam occupare jussus, ità conscendit, ut ingenti Ecclesiæ illius bono, & maximô præsertim pauperum emolumentô tenuerit, quorum duodenam diebus singulis domi suæ aluit. Verùm Apostolus hic in Patria suis minùs acceptus, cùm Cives suos in se duriores experiretur, consulto Romano Pontifice, bis eos deseruit, & à DEI-

para Geyzæ Ungarorum Duci, visibiliter apparente, meliori cum fructu operam suam locaturus, in Ungariam venit. Ducem Geyzam, & populum in Fide Orthoxa, à Sancto Piligrino instructum confirmare cœpit, eâ felicitate conatui respondente, ut & Divum Stephanum, primum deinde Ungariæ Regem, & filium ejus Divum Emericum, sacro fonte tinxerit, rémque Christianam, tum primùm adolescentem optimis præceptis roboraverit. Quia tamen ejus zelum Ungaria, estò vastissima, explere non poterat, Poloniam pariter salutaribus documentis eruditurus invisit, quod trienniô egit; inde in Prussiam idolorum cultui deditam profectus, dum eorum animis veræ fidei rudimenta instillat, in odium fidei inter sacrificandum lanceis confixus, capite abscisso, glorioſum consumavit Martyrium.

Vitam habet Bolland. fusè 23. April. Surius. Proprium Sanctorum Ungar. & Bohem. Inchoffer ad 989. Ranzanus.

S. GAU-



S. Gaudentius Ep: S. Adalberti frat. et in Vng: Co-Apost: Christi fidem primus gavit.



S. GAUDENTIUS
EPISCOPUS,
Frater Sancti Adalberti, & in Ungaria Co-Apostolus.

QUem & Cognatione sanguinis, & arctiori ejusdem Instituti, Religiosæque vitæ necessitudine Fratrem Sanctus Adalbertus habuit GAUDENTIUM, eundem susceptorum per Ungariam pro orthodoxæ Fidei propagatione laborum zelosum pariter expertus est Co-Apostolum. Ex Italia enim, inter alios viros præstantissimos, etiam Gaudentium in Bohemiam secum adduxerat Adalbertus, & primùm in Monasterio *Breunovienſi*, à Boleslao Pio, Principe Munificentissimo liberaliter dotato, sub regulari disciplina, in vitæ sanctioris rudimentis institutum, ubi magna perfectionis religiosæ specimina edidisset, secum in Ungariam deduxit, ut quem in claustrali solitudine spiritum conceperat, nunc palàm exhiberet, quæque pro Fidei augmento, sub umbra olim ediderat proposita, nunc in arena testaretur, & ferventi

venti conatu, ad unius veri DEI cultum, gentilem populum reducere adlaboraret. Quod is, & Fratris ſui zelô motus, & domeſtico ardore inflammatus, adeò ſolerter egit, & conſtanter; ut totô, quô in Ungaria verſabatur, tempore, nihil vel in votis, vel in actionibus haberet prius aut potiùs, quàm ut viâ, quâ poſſet facillimâ, Ungaras mentes Chriſti jugô ſubjiceret. Difficillimos etiam labores hilaris obibat, ne quidquam eorum prætermitteret, quæ pro novellæ fidei in Gentis hujus animis plantatæ confirmatione opportuna eſſe poſſent. Ex Ungaria in Poloniam tranſeunti Adalberto comes iterum itineris factus Gaudentius, ibidem debitam meritis ſuis *Gneſnenſem* Inſulam accepit. Cujus muneris partes ità ad amuſſim explevit, ut & gregi ſuo prodeſſet plurimùm, & ipſe ingentia apud DEUM merita colligeret, ad quorum præmium in cœlo accipiendum, pia morte tranſivit.

Vitam habet: Inchoffer ad ann. 988. *Bollandus meminit* 23. *April. fol.* 197.

S. BONI-



S. Bonifacius M. ad S. Martinum in Vng. Archi-Abbas. à Prussis Occisg. circ. An. 1007.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR

S. BONIFACIUS
MARTYR,
Abbas ad Sanctum Martinum in Ungaria.

BONIFACIUS Astrici, qui deinde Colocensis Archi-Episcopus fuit, primùm *Breunovii* in Bohemia, deinde in *Sacro monte* Ungariæ ad Sanctum Martinum discipulus, & illo ad Episcopatum vocato in Archi-Abbatia (ita ob loci celebritatẽ indigitabatur) successor fuit. Nec diu tamen Religiosa hac quiete frui Bonifacio licuit; nam Sancto Rege Stephano in omnium regni sui finium conversionem intento circa annum 1004. in inferiorem Pannoniam ad convertendos inibi populos (necdum enim omnes in Christum crediderant) missus, ita munus Apostolicum suscepit, ut non ibi tantùm Divini verbi prædicatione ovile Christi augeret, verùm & ulteriùs Evangelium proferre laboraverit. Cùm enim sanctum Adalbertum, suum nuper in Ungaria ad meliorem frugem excolenda socium, martyrio apud Prussos corona-

tum intelligeret, laureolæ hujus aviditate succensus, moræque omnis impatiens, illud ipsum stadium sibi currendum statuit; sic pari fortè se beandum è cœlo gratiâ confidens. Nec votis cœlum defuit, tot enim animas sibi eripi orcus ægrè ferens, quosdam è gentilibus eo in Christi fidem, & ejus prædicatorem Bonifacium odio inflammavit, ut dum hic verbum DEI ferventer populo explanaret, ludibrio primùm habitus; cùm non desisteret, gladio in vertice percussus, gravitérque sauciatus fuerit. Et licèt non illico eo vulnere interemptus sit, Martyrii tamen coronâ minimè defraudandus est, quò post mortem honore constanter à fidelibus colitur. Mors ejus circa annum Domini 1007. contigit.

Vide Chartuitium in vita Sancti Stephani Regis. Inchoffer ad ann. 1007. *Bonfin. de reb. Ung. Dec.* 2. *L.* 1.



B: Sadoch Ord: Præd: à S. Dominico in Vngariam missus, egregiè laboravit Martirio affectus. à 260. 2. Maij

Hoffmann sc.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR

B. SADOCHUS
MARTYR,
Ordinis Prædicatorum.

SAdochus Sancti Dominici discipulus, ab eodem ad vineæ Domini per Ungariam diffusæ culturam destinatus, ubi cum Beato Paulo ejusdem instituti natione Ungaro primos regni hujus fines attigisset, ac noctu pro felici sacri sui Ordinis, his in terris, propagatione ardentiùs oraret, ingentem Dæmonum turbam tumultuantem videre, sícque inter ejulatus conquerentem audire sibi videbatur: *Væ nobis! quoniam nos jure nostro exuere, istísque sedibus deturbare venistis.* Ampliùs hac visione inflammatus, & ad majora audenda succensus, novos Sadochus sumpsit animos, & vigiliis, precibus, maceratione corporis, jejuniis, precum assiduitate propitium pro successu sibi reddere Numen laboravit; deinde catecheticis instructionibus, publicis, privatísque congressibus, sacramentorum administratione, aliísque piis operibus, ad salutem animamarum utilibus, magnâ sui commenda-

tione, & pari populi emolumento, longo tempore ſtrenuè deſudavit, DEO conatibus ejus uberem meſſem indulgente, cùm plurimos ad Chriſti fidem perduxerit. Quo ille ſpolio lætus ad novos labores gradum promovebat. Ex Ungaria in Poloniam evocatus, & *Sandomiriæ* nihil tale cogitans Conventûs Priorem agere juſſus, 48. ejusdem Ordinis Confratres in Spiritu moderabatur ùt Pater, de cujusque commodis magè ſollicitus, quàm de ſuis. Tandem à Tartaris anno 1260. irruentibus obrutus, nobiliſſimo agone, inter ſuaviſſima ad JESUM & MARIAM ſuſpiria, barbarorum gladiis, & lanceis crudeliter interemptus, glorioſam mortem oppetiit. Quanquam vivat etiamnú in poſterorum memoria immortalis; *Sandomiriæ* quippe 2. die Junii anniverſariâ celebritate, magnóque populi concurſu Martyrii ejus memoria recolitur.

Vitam habet: Sigiſm. Ferrar. p. 1. c. 3. Frider. Stiella in Ephemer. Dominic. Bzovius ad ann. 1260.

BEA-



B. Bertholdus Ord: S. Franc: eximius contemplatus, Vngariæ Apostolus ob 1272. 31 Dec:

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

B. BERTHOLDUS

Ex Ordine Sancti Franciſci, Ungariæ Apoſtolus.

BErtholdus Ratisbonæ natus, adoleſcens magiſtro in virtutibus uſus Religioſiſſimo viro Beato Davide, ità profecit, ut hauſti Spiritûs tutiùs ſervandi causâ Divi Franciſci regulam ſequi elegerit. Tanta ei erat in dicendo gratia, ut eloquentiâ veluti philtro quodam occulto Auditores alliceret. Sunt qui ſexaginta, alii centum millia eorum recenſita fuiſſe ferant, qui ab ejus concionantis ore pendebant. Accedit, ut è cathedra certum vitiorum genus acriùs perſtringeret, cujus criminis conſcia mulier in media populi multitudine mortua concidit, ſed fuſis pro illa, Bertholdi adhuc concionantis juſſu, à populo precibus, vitæ reddita mira retulit: adducta nempe eodem puncto temporis ad DEI tribunal ſexaginta animarum millia, tot enim homines ex variis in orbe caſibus obierant, è quibus omnibus tres tantùm ad piaculares flammas fuiſſe deſtinatas, reliquas

omnes ad infernum ruisse præcipites, unicum rectà cœlum obtinuisse. Novam hìc in vitia invehendi occasionem nactus, ingentem in Auditore fructum reliquit. Ne verò talentum sibi à DEO communicatum angustis Urbis, aut Provinciæ unius terminis constringeret, ut ejus emolumentum ad plures perveniret, eloquentiæ suæ vim peregrinis etiam terris voluit innotescere. Aptum, in Ungaria Zelo suo, campum reserari ratus, eò descendit, ubi multos ex iis ad Christi ovile reduxit, quos privatos in errores, infideles Cumani seduxerant. Verbum ejus quasi facula ardebat, & Eliæ instar sermo ejus ad convertendos etiam obstinatos vehemens erat, & efficax. Pluribus eum DEUS post mortem prodigiis illustriorem reddidit, quam 13. Decembris anni 1272. Ratisbonæ obiit, ibidem tumulo illatus.

Vitam habet Raderus S. J. in Bav. Sancta fol. 153. *Gonzalez in hist. Francisc.*

S. PE-

S. PETRUS THOMASIUS,

Carmelita, Nuntius Apostolicus per Ungariam.

PEtrus Thomasius, magnum Carmelitici Ordinis lumen, obscuris in Aquitania parentibus editus, corrogatâ per vicum stipe vitam sustentabat; præclari nihilominus ingenii exercitio eum in literis profectum obtinuit, ut ad Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de monte Carmelo susceptus, Philosophiam, & Theologiam publicè plures per annos ingenti Auditorum fructu prælegerit, ob quam eruditionem præclaræ Sanctitati sociatam, ab Innocentio III. Papâ in *Pactensem* primùm in Regno Siciliæ anno 1348. postea in *Coronesem* Episcopum, crescentibus demum meritis in Archi-Episcopum *Cretensem*, ac postremo in Patriarcham Constantinopolitanum sit promotus; variis interea legationibus ad Reges, & Principes, à Sede Apostolicâ adhibitus, etiam ad Ludovicum Ungariæ Regem destinatus, bellum Ungaros inter

ter, & Venetos ſuſcitatum placaturus, & compoſitos eorum animos ad terræ Sanctæ liberationem inflammaturus, *Budam* venit. Benignè à Ludovico auditus; ut arma contra Venetos expedita revocaret, & furorem in fidei orthodoxæ hoſtes converteret: Petri efficaciâ perſuaſus, decennales Venetis inducias offert, séque cum exercitu in terram ſanctam moturum, in manus Petri Nuncii Apoſtolici jurat, à quo Pontificiâ Authoritate Dux expeditionis hujus nominatus, vexillum Crucis accipit. Verùm Venetis conditiones pacis renuentibus, mirùm quantùm Petrus indoluit, ſiniſtrum iis belli ſucceſſum ominatus, prædixit. Ungari enim Petri precibus adjuti. *Jadrâ* expugnatâ, & cæſo Venetorum exercitu victores, totam iis Dalmatiam eripuerunt. Legatione ſic peractâ, Petrus poſt multa præclarè pro Eccleſiâ geſta, & Alexandriam Turcis ereptam, in *Fama auguſta Cypri* beatum laboribus finem impoſuit.

Vitam habet Ballandus fusè 29. Januarii.

B. JO-

pag: 93.



B. Ioannes Dominici. Ord. Pr. æd. Ep. et S. R. E. Cardin. a d. Sigismundū Vng. Regem Nuntij Apostolicj. Budæ obijt 7. Dec. 1418.

Hoffmann sculs.

B. JOANNES DOMINICI,

Nuntius Apostolicus, obiit Budæ.

JOannes Dominici, patriâ Florentinus, professione Ordinis Sancti Dominici religiosus, dignitate Ragusinæ Ecclesiæ Præsul, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, magnam vitæ partem in Ungaria transegit; nam à Gregorio XII. Papa ad Sigismundum Ungariæ Regem Catholicæ fidei protegendæ Zelô, animi magnitudine, & fortitudinis bellicæ gloriâ, singularem, bis Legatus à latere missus, de rebus Ecclesiæ componendis summâ cum dexteritate, & felicitate pari laboravit. Tanta ejus apud Regem erat Authoritas, & fides, ut eum intimioribus suis consiliis perpetuò adhiberet, arctâ cum eo familiaritate arcana quæque communicans. Nec minor illius apud Proceres æstimatio, quem quisque suæ salutis Patronũ venerabatur. Unde si condendæ aut interprætandæ leges, si lites componendæ, si abolẽdæ discordiæ, si salutaria pro fidei po-

tissi-

tissimùm incremento conferenda in publicum essent consilia, nemo eo ingenio major, nemo solidior habebatur. Ob quas naturæ gratiæque dotes apud Pontificem Rex instítit, ne tanto Ungariam bono spoliaret, sed ei Joannem ad hæreses recèns exortas elidendas Apostolum relinqueret. Joannes *Budam* regni Metropolim se contulit, ut illam in Religionis integritate conservaret, si patriæ cor sanum esset, membrorum vigorem faciliùs conservandum ratus; & egit utrumque solertissimè, donec vitæ suæ terminum imminere præsagus, quasi publicâ jam videretur curâ liberatus, totum se orationibus vigiliísque dedit. Febri correptus, inter Ungariæ Procerum adstantium lacrymas, communémque Civium dolorem, quasi somnô suavi consopitus felicem DEO Spiritum dedit 7. Decemb. anni 1418. Corpus ingenti pompâ, qualem tanti Viri authoritas, & omnium in eum affectus merebatur, tumulatum multis DEUS miraculis illustravit.

Vitam habet fusè Sigism. Ferr. par. 2. lib. 1. à cap. 26. usque ad c. 45. Plodius Chron. Ord

S. JOAN-

S. JOANNES CAPISTRANUS, Ordinis Sancti Franciſci Ungariæ Apoſtolus.

JOannes Capiſtranus è Samnitibus ortus, Sancti Franciſci Ordinis Minorum Religioſus, vitæ Sanctitate, & dicendi copiâ celeberrimus, poſt Conſtantinopolim Turcis traditam, à Calliſto III. Papa pro Eccleſiæ incolumitate ſollicito miſſus eſt, ut ſacris adhortationibus populos ad militiâ gratuitis ſtipendiis ſub Crucis labaro ultrò aſſumendâ, pro ſuccurſu periclitanti Ungariæ ferendo animaret. Abiit ille, munerísque ſui partes expleturus, plurimos Cruce ſignatos in Turcam Europâ exterminandum collegit. *Viennæ* in Ladislai Poſthumi Ungariæ Regis aulâ Joannem Corvinum reperit, à quo in Ungariam deductus, maximam Crucigerorum manum, pecuniâsque oppidatim, ut è collecta ſtipe nervus belli confici, cõmunibúsque neceſſitatibus ſubveniri poſſit, coëgit. Mahometi *Belgradi* mœnia tormentis quatienti cum Corvino Capiſtranus

nus occurrit; hic Crucifixum complexus, ſociis contra Chriſtiani nominis hoſtem inflammatis, præmiſsâ Numinis invocatione longè inferiori manu ſuperbi hoſtis claſſem adoritur, & mirum! potentiſſimus hoſtis fugatur, funditúrque, & poſt 24. horarum prælium Urbe ac mœnibus, quæ occupaverat, excuſſus, caſtris exutus, in fugam compellitur. In cujus victoriæ tam prodigioſæ memoriâ Feſtum Transfigurationis Domini à Pontifice inſtitutum. Solutâ ſic obſidione Corvinum non multis pòſt diebus febri extinctum dolens Capiſtranus, nunquam ampliùs lætari viſus, eum brevi, die nempe 23. Octob. 1456. ſecutus, pie obdormivit, & in æde Sancti Franciſci in *Sirmienſi* tractu ad *Vilakum* ſeptimo ab obitu die ſepultus, commune fuit tam ægris, quàm aliâ neceſſitate preſſis refugium, publicus in omnibus Thaumaturgus. 1691. Sanctorum numerum auxit.

Vitam habet Raderus in Bav. San. p. 1. Wading. Chron. Min. Iſtvanfius L. 20. Bonfin. dec. 3. L. 8.

B. JA-

B. JACOBUS PICENUS,

Ordinis Sancti Franciſci, Ungariæ Apoſtolus.

JAcobus Ordinis Sancti Franciſci Alumnus, & Sancti Capiſtrani in expeditione belli Sacri pro Ungaria defendenda ſuſcepti commilito, cum eodem in Ungariam deſcendendi animum adjecit, dúmque ſacris pleni deſideriis conſilium hoc executuri iter urgent, accidit, ut, dum *Padum* trajecturi pecuniâ ex ordinis inſtituto carerent, ſinè naulo à navi per portiorem, lucro ſuo avidiùs inhiantem, velut inutile pondus repellerentur; ſpe hi & animo in DEUM elevatis, pallium undis inſternunt, ſuper quod felices ſinè remige littus alterum, non ſinè avari portitoris ſtupore, & confuſione, attigerunt. Ungariam ubi Jacobus Duce Joanne Corvino tenuit, incredibili fervore, & indefeſſo ſtudio in Gentis illius intentus commoda, rem Catholicam niſus eſt ſtabilire. Vacillantes confirmare, & ignorantes erudire, labor illi erat ſolatio pleniſ-

 ſimus.

simus. Quo ejus fervore moti *Strigoniensis* & *Colocensis Archi-Episcopi*, *Varadinensis* & *Transylvaniæ* Præsules uno sensu ad Eugenium Papam literas dedêre, in quibus ingentia Jacobi, in rei Catholicæ per Ungariam propagatione, merita egregiis laudibus commendârunt. Sancto Capistrano vivis erepto majus ejus humeris laborum Spiritualium onus incubuit, sed & hoc eo succollante, cujus gloriam promovebat, ità sustinuit, ut indefessi Ungariæ Apostoli numeros omnes expleret. Cui ut etiam post funera prodesset, monasteria complura erexit, ut in illis educarentur, qui se Ungariæ erepto, fidei salvificæ, pietatísque cœptæ fervorem tuerentur. Quibus conditis Italiam, unde venerat, repetiit, & Neapoli humanis excessit.

Vitam habet: Wading. ad an. 1476. *Bonfin. dec.* 3. *Lib.* 8. *fol.* 511. *ad ann.* 1453.



B. Mathæus Escandeli natus Budæ, Martirio affectus in finis quo Infidelium convertendorum causâ ingressus est.

B. MATTHÆUS ESCANDELY,

Ungarus, Martyr, & Eremita.

MAtthæus Escandely Budensis Civis, post illatum sub S. Stephano Rege in Hungariam Evangelii lumen, haustæ veritatis agnitione impulsus Hierosolymam peregrinus discessit, omnibúsque patientis Christi vestigiis devotè lustratis, & cultis, amore sanctitatis captus in recessu montis Sion antro se abdidit, & Anachoretico studio annis aliquot eâ in solitudine vacavit. Jámque DEO plenus, & ejus amore flagrans, ut alios quoque ad eundem inflammandi, campum ampliorem inveniret, mirùm quantùm ambiebat; eos verò præcipuè, qui longè positi in gentilitatis tenebris cæcutiebant, ut DEUM verum, & quem is misit in terras, JESUM Christum cognoscerent, ad veræ fidei lumen adducere præoptabat. Itaque piô votô divinitùs, ùt eventus ostendit, conceptô, ad Indos animum adjicit. Nec mora; longo ac difficultatibus pleno itinere, mari multa post discri-

mina ſuperato, DEO duce, Regnum Sianis attigit, ac inde uſque in Sinas penetravit. Ingenti hìc auſu DEI regnum inſtauraturus, vitæ imprimis ſanctitate, dein prædicationis efficaciâ; demum, qui ſingularis in eum cœli favor erat, miraculorum magnitudine quàm plurimos ad fidem convertit, adeóque altè veræ doctrinæ radices eorum animis indidit, ut nulla deinceps ſuperſtitio eas penitus evellere potuerit. Nunquam ad gentiles verba fecit, quin pro patria, unde ortus erat, pietate in Deiparam, aliquid laudum aut prærogativarum immaculatæ Virginis immiſcuiſſet. Cùm verò major indies apud omnes ejus ſanctitatis fama inclareſceret, nec pauci Bonziorum, ſuperſtitioſo ritu poſthabito, ejus doctrinam amplecterentur, illorum inſidiis circumventus, illuſtri martyrio vitæ finem impoſuit, quem incolæ loci hodiéque venerantur.

Vide P. *Inchoffer S. J. in annal. Eccleſ. ad ann.* 1009. *Joan. Locenam Lib.* 10. *C.* 24. *Petrum Jarricum Hiſt. Ind. L.* 4. *c.* 6. *Annales Ord. S. Pauli primi Eremitæ.*

EX MUSEI KOLOZSVÁRI DEBRECEN

S. FRAN-

S. FRANCISCUS BORGIAS S. J. Gen. III.

FRANCISCUS Patre Joanne, Gandiæ Duce, tertio Gentis Borgiæ, quam ſummi duo Calliſtus III. & Alexander VI. Pontifices nobilitârunt; Matre autem Joanna Arragonia, nepte Regis Arragonum Ferdinandi natus, ortum ducere creditur ex Ungarorum in Catalaunia militantium reliquiis, à quibus etiam nomen gentilitio inſigni reſpondens accepit. Cujus non leve argumentum ſunt, D. Borgiæ veſtitu Ungaræ genti proprio expicti, icones compluribus Regni Apoſtolici in Baſilicis aſpectabiles. Caroli V. Imp. in Aula ſpectandum propoſuit pulcherrimum Principis, Aulicique Chriſtiani exemplum. Iſabellæ mortem, ſuum appellabat natalem. Atque hinc decrevit, nulli poſthac, obſequia Domino mancipare, quem eripere mors poſſet; Societatique Kal. Febr. conſentiente Pontifice, ut Ducis in cultu, ac poteſtate, dum liberorum firmaretur ætas, in quadriennium permaneret, votis ſe dedicavit. E Pro-Rege

Catalauniæ, ac Duce Gandiæ, ibid. Collegii & Academ. author, Universæ subinde Societatis Gen. III. electus, Purpuram sæpe iminentem, fortiter declinavit. Spectabilem non rarò dæmonem sui infra eum abjectione fugabat. Ad præsentem in SS. Eucharistia Dominum creberrimè recipiebat sese: ibi divinitatis commercio fruebatur, beatæ vitæ præguſtans dulcedinem. Inferens pedem in templa, sagaciſſimè statim sentiebat, quô locô veneranda mysteria servarentur, nec ipse unquam, lampades licèt interdum, & alia argumenta fallerent, falleretur. Ità nempe ferreus in seipsum asperrima corporis afflictatione Franciscus cum DEO Magnete conspirabat. Sic amore divino ardens animus, menstruum divorum cultum primus excitavit; B. Mariæ Maj. à D. Luca depictæ effigiem, ut imitari liceat, à Carolo Borromæo, quamvis perægrè, cùm antè nemini fas esset, evicit, unde plurima deinde maximo cum honoris Virginei incremento per varias orbis partes profecta sunt exempla. Obiit Rom. 1572. ætat. 62.

Ex Hiſtoria Societatis.

pag. 103. 104.

V. P. Georgius Csepelényi
et Ord. S. Pauli Primi Ere-
mitae ab haeretico
in Ungaria occisus

Georgius e nobili Hun-
garorum vinculo
prosapia - - -

pag. 105. - - - - -

VV. Marcus Crisinus.
canonicus Strigoniensis

P. Stephanus Szongrácz.

et

P. Melchior Grodeczius
Societatis Jesu.

Index Vitarum	folio
S. Adalbertus Ar. Ep	81.
S. Agnes	27
S. Andreas Zoerardus	65
B. Antonius de Fulg.	75
S. Astricus	47
B Augustinus Ga.	59
B. Beatrix	11
S. Benedictus M.	67
B. Bertholdus	89
S. Bextertus	55.
S Bonifacius	85
S Buldus	53
B Buzadus Bonfi	71
S. Casimirus	45
S. Colomannus	41
B. Cunegundis	31.

S.	David rex Scot.	39
S	Elisabeth R. Port.	21
S	Elisabeth And. II. fil.	23
B	Elisabeth And. III fil.	33
B.	Elisabeth. Steph V. fil	43
S	Emericus	5
B.	Eusebius	63
S.	Franciscus Borg	101
S	Gaudentius	83
S	Gerardus	51
S	Gertrudis	19
B	Gertrudis	25
B.	Gizela	3
S	Hedvigis	17
B.	Helenae	73
B	Iacobus Picenus	97
B.	Ioannes D. Pr.	77

S	Guntherus	7
S.	Ioannes Capistr.	95
B	Ioannes Dominici	93
S	Ladislaus	15
S	Ludovicus Tolos.	35
B	Margaritha Belae S.	29
S	Margaritha Sc. r.	37
B	Matthaeus Escand.	99
B.	Mauritius Csáki	69
B.	Maurus	57
S	Paulus O. Praed.	61
S.	Piligrinus.	79
S	Petrus Thomas.	91
B	Sadochus	87
B.	Salomea	9
S	Salamon	13
B	Sebastianus	49

S. Stephanus R. H.	1.
V. P. Georgius Csepelény	103
V. P. Marcus Crisius	105
" Stephanus Pongrácz	"
" Melchior Grodecrius	"

INDEX.

In quo reliqui Sanctitate conspicui recensentur, qui vel ab Ungaris ortum ducunt, vel Martyrio affecti sunt, aut in Hungaria aliquando vixerunt.

A.

S. ABepas M. passus in Ungar. circ. annum 370. die 26. Martii. Vide Bolland. hac die fol. 619.

S. Acutio M. passus Sirmii in Ungar. die 2. Januar. Vide hac die Martyrol. S. Hieronymi, & Bolland.

S. Acutus M. passus Sirmii in Ungar. die 2. Januar. Vide hac die Martyrol. S. Hieronymi, & Bolland.

B. Adalbertus Uladislai 2. Bohemiæ Regis Filius, Adleidæ Ungar. Regis Filiæ Abnepos, Archi-Ep. Salisburgensis. Obiit 4. Aprıl. Annô 1260. Vide Balbinum de SS. Bohemiæ.

S. Adiodemus, cujus corpus, ex conceſſione Pauli V. Pontif. Tyrnaviæ in Ung. in Temp. S. J. requieſcit, colitur 29. Januar.

S. Adrianus Epiſc. in Scotia, Regia in Ungaria ſtirpe natus, annô 870. 4. Martii colitur. Bollandus habet vitam hac die, fol. 326.

S. Adrianus M. Probi Pannonii Sirmienſis Filius. Vitam habet Surius, Tom. 5to die 8. Septembr. an hic idem ſit cum priori, diſputet, cui vacat, & argumenta ſuppetunt.

B. Ægidius Strigonii in Ungar. 12. Martii. Ordinis S. Franciſci. Vide Arhirum de Monſtier. in Martyr. Franciſcan. & Bolland. hac die.

S. Agapitus S. Euſtachii Daciæ (Tranſylvania Ungariæ Provincia eſt) Regis Filius. Vide Patrem Inchoffer in Annal. Eccleſiaſt. Ung. Annô 103. Brev. Roman. 20. Septembr. Dion. l. 68.

B. Agnes Ord. S. Benedict. Pragæ Adleidæ Regis Ungar. Filiæ, ex Uladiſlao I. Bohemiæ Regis Filio Neptis, 14. Martii. Vide Crugerum. P. Balbinum, de SS. Bohemiæ.

B. Agnes Conſtantiæ, Belæ III. Regis Ungariæ Filiæ, ex Ottocaro I. Bohem. Rege filia, in Monaſterio Doxanenſi 31. Julii.

Julii. Dubrav. in Tabulis Geograph. Balbinus in SS. Boh. §. 53.

S. Agricola M. passus in Pannonia die 3. Decemb. Vide Martyrol. Roman.

S. Albanus M. in Ungariam missus, & à Rege in Filium adoptatus, obiit 1. Decemb. Vide Petr. lib. 1. c. 16.

S. Alexander M. miles Curtæ (id est Budæ) passus 27. Martii. Vide Phil. Ferrar. & Bolland. hac die.

B. Alexius Ungarus, claruit sanctitate in Silesia ann. 1461. 27. Julii. Vide Marcum Ulyssip. lib. 5. c. 29.

S. Allas M. passa in Ungaria, sub Gratiano Sirmiensi, annô 370. 26. Martii. Vide Bolland. hac die.

B. Alphonsus Borgia, Ordin. Eremit. S. August. Dux Gandiæ, cujus stemma ex Ungaris in Catalaunia colonias agentibus, ortum. Vide Phil. Elsium.

S. Amabilia Ord. S. Benedict. Neptis Adleidæ, Andreæ Regis Ungariæ Filiæ, circa annum 1170. Vide Pat. Balbinum, de SS. Bohem. §. 31.

S. Anastasia passa Sirmii, cujus Reliquiæ Sirmiô Constantinopolim delatæ. Vide Bolland. 21. Jan fol. 360.

S. Anastasius M. passus Sirmii in Ungaria 6. Jan. Vide Bolland. Tomô 1. fol. 324.

S. Andreas Apoſt. Scythis Ungarorum Progenitoribus, Evangelium prædicavit. Vita paſſim habetur, colitur 30. Nov.

S. Andronicus Epiſc. & M. primus Hunnorum Epiſc. Vide Bolland. 17. Maji, ubi habetur ejuſdem vita.

S. Angela Ordinis Carmelit. Soror Uladislai Bohem. Regis, qui fuit Nepos Adleidæ Andreæ Ung. Regis Filiæ. Crugerus in Aug. P. Balbin. in Bohem. ſacra.

S. Anicetus, cujus corpus in Æde S. Joannis Baptiſtæ Tyrnaviæ in Ung. in Temp S J. colitur 8. Julii, ex conceſſ. Pauli V.

S. Animais M. paſſa in Ungaria ad Danubium, anno 370. die 26. Martii. Vide hac die Bolland.

B. Anna Conſtantiæ Belæ Ung. Regis Filiæ ex Ottocaro Bohemiæ Rege Filia, & Henrici 2. Sileſiæ Ducis Conjunx. Obiit Vratislaviæ 23. Junii, annô 1265. Vide P. Balbinum in Bohem. ſacr.

S. Anna M. paſſa in Ung. ad Danubium ſub Gratiano Sirmienſi 26. Martii annô 370. Vide Bolland. hac die.

S. Antigonus M. paſſus in Ungaria Sirmii, 23. Februar. Vide Bolland. eadem die.

S. Antonius de Saxonia, Ord. S. Franciſci, paſſus in Ungaria Widinii, annô 1396. Vide Martyrol. Franciſc.

S. An-

B. Antonius Confessor, Ungarus tertii Ordin. S. Francisc. Obiit 13. Maji, anno 1371. Vide Wading. in Chron. Franciscan. anno 1398.

S. Arno Archi-Episc. Salisburgensis, Fidem Christi in Ungaria prædicavit. Vide Raderum in Bavar. sancta.

S. Arpylas Monachus M. passus ad Danubium, sub Gratiano Sirmiensi, circa annum 370. 26. Martii. Vide hac die Bollandum.

S. Artaxus M. passus Sirmii in Ungaria 2. Januarii. Vide Martyrol. S. Hieronym.

S. Augustinus Stephanus Ord. Erem. S. Augustin. anno 1598. Transylvaniæ Principis Confessarius. Vide Philippi Elsii Encomiasticon Augustinianum.

B.

S. BAris M. passa ad Danubium sub Gratiano Sirmiensi, 26. Martii, anno 370. Vide Bolland.

S. Bassilla Sirmii die 29. Augusti obdormivit in Domino. Vide Petrum de Natal. lib. 11. c. 30. num. 231.

S. Bathusis Presbyter, & M. passus in Ung. ad Danubium sub Gratiano Sirmiensi, anno 370. Vide Bollandum.

S. Benedictus, cum S. Adalberto, in Ungar.

conversione ad fidem laboravit, Martyrio deinde in Polonia affectus. Vide Inchoffer anno 1000. Dubrav. lib. 6. Balbin. in Bohem. sacra §. 16.

S. Borivorius, Christianorum Bohemiæ Ducum primus, apud Svatoplucum (à [redacted] Nitriæ residentem Christianis sacris initiatus. Vide Balbin. in Bohem. sacra, folio 7. Dubrav. lib. 4.

B. Bretislaus Henricus, Dux Bohem. Episc. Pragen. Adleidæ Regis Ungar. Filiæ ex Bretislao 2. Nepos. 14. Junii. Obiit 1196. Vide Balbin. §. 33.

C.

S. CArolus Magnus, pluribus annis in Ungaria pugnavit, DEIPARÆ honori Jaurini, & Budæ Templa erexit. Obiit 28. Januarii, 814. Vide Sigism. Birken in in spec. hon. Austr. lib. 4. c. 9. Aventin lib. 3.

B. Carolus Csáky, Ord. Præd. Obiit Jaurini. 16. Januarii 1339. Vide Plodium lib. 1. de illust. col. 244. Frider. Stiell. in Ephem. Dominic.

S. Christina V. & M. cujus corpus in Templo PP. S. J. Tyrnaviæ conditum colitur 19. Julii.

S. Chri-

S. Chriſtinus Monachus, cum S. Adalberto in Ung. laboravit, factus Martyr in Bohemia 12. Novemb. Vide Inchoffer annô 1000. Dubrav. lib. 6.

S. Cyriacus cum S. Urſula occiſus ab Attila. Vide Bonfin. dec. 1. lib. 5. mihi fol. 78.

S. Cyrillus Epiſc. Hunnis Iſtri accolis Fidem Chriſti prædicavit. Vide Inchoffer in Annal. ad ann. 988. Vitam habet Bolland. 9. Martii.

S. Conceſſus M. Sirmii in Ungaria paſſus 9. April. Vide Bolland. hac die.

S. Conſtans M. paſſus ad Danubium in Ungar. ſub Gratiano Sirmienſi, annô 370. 26. Martii. Vide Bolland.

S. Conradus Epiſc. Portuens. S. R. E. Cardinalis, partium Ungariæ ad Savum Apoſtol. circa an. 1127. 30. Septemb.

S. Cordula, è Sociabus S. Urſulæ, ab Attila interfecta, annô 383. 22. Octobr. vita paſſim habetur.

S. Cunegundis, Henrici Imperatoris Conjunx, multùm in converſione Ungarorum ad Fidem laboravit. Obiit 1040. 3. Martii. Bollandus.

B. Cunegundis Bohema, Antiſtita Pragæ, Neptis S. Agnetis, quæ fuit Filia Conſtantiæ Belæ IV. Ung. Reg. Obiit 1321. 13. Februar. Vide Balbinum in Bav. pia.

D.

S. DArerca nata ex Sorore S. Martini Sabarienſis in Ungaria. Vide Bolland.

S. Demetrius Diaconus paſſus Sirmii in Ungar. circa ann. 303. 9. April. Vide Inchoffer hoc anno. Bolland. 9. April. & 20. Martii.

S. Demetrius M. & Miles ob reliquias Sirmii depoſitas colitur Officiô propriô per Ungariam 26. Octobr.

S. Deſiderius, cujus corpus Tyrnaviæ in Ungaria, in Templo PP. Soc. JESU quieſcit, colitur ex conceſſione Pauli V. & Gregorii XV. 11. Febr.

S. Deſignatus ex Dacia (Tranſylvania) claris ortus parentibus, Epiſc. Tungrenſis circa an. 506. Vide Lobetium in Gloria Eccl. Leod.

S. Deſignatus M. paſſus Sirmii in Ungaria die 9. April. Vide Bollandum hac die.

E.

S. EGathrax M. paſſus ad Danubium ſub Gratiano Syrmienſi, anno 370. 26. Martii. Vide Bolland. hac die.

B. Eliſabeth Ordinis Præmonſtrat. Neptis Adleidæ Filiæ Regis Ungariæ. Obiit 31. Martii ann. 1170. Balbinus in Bohem. ſac. §. 32.

S. Eme-

B. Emericus Ord. Præd. Ungarus. Obiit circa ann. 1221. 27. Junii. Vide Sigism. Ferrar. p. 1. l. 1. c. 11. fol. 112. Frider. Stieli. in Ephem.

S. Emiramus Episc. Ratisbonens. Hunnos in Pannonia, maximè Quinque-Ecclesiis ad Christi sacra conatus adducere. Vide Inchoffer. fol. 296. Raderum in Bavar. sancta.

S. Eugenda M. passa in Ung. Sirmii die 2. Januarii. Vide Martyroi. S. Hieron.

S. Evilasius Præfectus Mysiæ, quæ nunc Ungaria dicitur. Vide Inchoffer ad ann. 304. 26. Sept. colitur.

S. Euphrasia V. soror S. Angelæ, quæ fuit Abneptis Adleidæ filiæ Andreæ Regis Ung. amore pudicitiæ Martyrium passa. Vide Balbin. §. 45. in Boh. sacra.

S. Eusebius Episc. & M. passus in Ungaria Cibali, quæ est inter Dravum, & Savum, 28. April. Vide Bolland. fol. 565.

S. Eustachius cum sociis Martyribus militavit in Ungar. contra Dacos, construxit pontem, qui dicitur Trajani. Vide Inchoffer ad ann. 103. Dion. lib. 68.

S. Eustachius, aliàs Decebatus dictus, Rex Daciæ (nunc Transylvania est) unà cum Conjuge & Liberis Martyriô affectus. Vide Inchoffer in annal. Un-

gar. ad ann. 103. 20. Sept. an hic cum priori coincidat, non satis clarum.

F.

S. Fausta M. passa in Mysia inferiori, quæ nunc Ungaria. Vide Inchoffer in annal. Ung. ad ann. 304.

S. Florentinus M. passus Sirmii in Ungar. die 6. April. Vide Bolland. hac die.

S. Florentinus natione Turca, cæso Turcarum exercitu captus ab Ungaris, & Monachus Ordin. S. Benedic. factus. Vide Bucelin. 7. Julii.

S. Florianus M. passus Sirmii in Ungar. 8. Januar. annô 230. Vide Bolland. & Martyrologium S. Hieron.

S. Florus M. passus Sirmii in Ungaria 8. Jan. Vide Bolland. hac die.

B. Franciscus Ungarus, Ord. Erem. S. Aug. Vide Philip. Elisii Encomiasticon Augustinianum.

S. Fortunatus M. passus Sirmii in Ungaria 9. Aprilis. Vide Bollandum hac die.

G.

S. Gajanus Diaconus passus in Dacia 10. April. Vide Bollandum hac die.

B. Gallus Confessor Ord. S. Franc. Obiit Strigonii 28. Octob. vixit circa annum. 1340. Vide Wadin. tom. 2. ad an. 1287.

S. Ge-

S. Geminianus M. passus Sirmii in Ungaria 6. Febr. Vide Bolland. eâdem die.

B. Gerardus Ung. Ord. Præd. Confessarius B. Margarithæ Virgin. Obiit Budæ 11. Junii Vide Frider. Stiell. in Ephem. Dominic.

S. Geroldus Bojorum Prætor in bello ab Hunis cæsus 1. Decemb. Vide Kalend. P. Szentiv. anni 1685.

S. Guibertus Monachus, Ungaros solo verbo in suam movit voluntatem. Vide Bucelin. in nucleo histor, anno 926.

H.

S. Hagnas M. passus in Ung. ad Danubium sub Gratiano Sirmiensi anno 370. 26. Mart. Vide Bolland. hac die.

B. Hedvigis Ord. Præmonstrat. in Monasterio Droxanensi, Neptis Adleidæ Filiæ Andreæ Reg. Ung. 7. Juaii. Vide Balbinum §. 35.

S. Henricus Imper. multa egit in Ungaria ad fidem Christi convertendâ. Obiit 14. Julii anno 1025. Breviar. Roman.

B. Henricus Zdik Episc. Olomucensis, Filius Bretislai Principis, qui habuit Conjugem Adleidam Andreæ Ungar. Regis Filiam. Vide Balbin. §. 30. Crugerum 25. Junii.

B. Hen-

B. Henricus Abbas Ord. S. Bened. in Dacia seu Transylvania 11. Febru. Vide Bucelin. in Menologio.

S. Herissus M. in Ungar. passus Sirmii, die 2. Januarii. Vide Bolland. & Martyrol. S. Hieron.

S. Herma Sirmiensis, Episc. Dalmatiæ, colitur 8. April. Vide Bolland. hac die, & 31. Maji.

S. Hermylus M. Diaconus, passus in Ungar. Singiduni sive Senderoviæ, circa ann. 315. 1. Januarii. Vitam habet Bolland.

S. Hescous M. passus in Ung. ad Danubium, sub Gratiano Sirmiensi anno 370. 26. Mar. Vide Bolland.

S. Hieronymus Doctor Ecclesiæ, natus Stridone, qui locus vix diei itinere Sabariâ distat. Obiit 30. Sept. 420. Vide Inchoffer. in annal. Ung. ann. 304.

S. Hilarius M. Sirmii in Ungaria passus 9. April. Vide Bollandum eâdem die.

B. Humbertus Ord. Prædic. in Synodo Generali Budæ habitâ ann. 1254. electus Generalis. Obiit 1276. Vide Leand. lib. 5.

S. Hyacinthus Ord. Præd. cum B. Jacobo Piceno Ungariam concionibus ad Christi fidem animavit. Vide Bzovium de sign. Eccles. tom. 1. pag. 50. l. A.

S. In-

I.

S. Innocentius cum 30. Sociis passus Sirmii in Ungar. 4. Julii Vide Rosvveid. in vet. Kalend. Rom.

S. Joannes Eleemosynarius Epis. cujus corpus jacet Posonii in Ungar. incorruptum. Obiit 23. Januar. anno 620.

S. Joannes Chrysostomus ad Scythas Istrî accolas, Viros Apostolicos destinavit, & ipse multos convertit. Vide Inchoff. in Annal. Ungar. ad ann. 407. colitur 27. Januarii.

S. Joannes Gothiæ è Scytharum Rege Martyr, Hunnis charus, & venerabilis. Vide Inchoff. ad ann. 731.

B. Jnannes Ungarus, Episc. Ord. Præd. à subditis hæreticis excoriatus circa ann. 1230. 18. Decemb. Vide Frider. Stiell. in Ephemeri. Dominic.

B. Joannes ab Ungaria Ord. S. Franciſci à Tartaris occisus 15. Maji. Vide Martyrol. Franciscan.

B. Joannes Confessor, primus per Ungar. Ord. S. Franciſci Provincialis. Vide Wading. tom. 2. Anno 1270. §. 37. & Anno 1287.

B. Joannes Laicus Ordin. S. Franciſci Provinciæ S. Salvatoris, à Parentibus hæreticis

reticis Tranſylvanis capite truncatus 4. Junii anno 1603. Vide Martyrol. Franciſcanor.

S. Joannes Monachus cum S. Adalberto laboravit in Ungar. & occiſus in Bohem. 12. Novemb. Vide Inchoffer ad ann. 1000. & Dubrav. lib. 6.

S. Irenæus Epiſc. & M. paſſus in Ung. Sirmii 25. Martii. Vide Inchoffer ad ann. 303. Bollandum hac die.

S. Iſacus Monachus cum S. Adalberto fidem Chriſti in Ungar. prædicavit. Martyrio affectus in Bohem. Vide Inch. an. 1000.

S. Jucundus M. paſſus Sirmii in Ungar. 8. Januarii. Vide Martyrol. S. Hieronym.

S. Julianus, cujus ſacrum corpus Tyrnaviæ in Ung. in templo S. Joannis Baptiſt. PP. Soc. JESU quieſcit, & colitur 3. Aug. ex conceſſione Pauli V. Pontificis.

L.

S. Ladislaus, aliis Lanceslaus, ab Ungaris Confeſ. regiâ proſapiâ ortus, in Ord. S. Franciſci floruit circa ann. 1445. Ob. 20. Sept. Vide Martyrol. Franciſcan. Wadingus ad hunc ann.

S. Laurinus, ſive Jaurinus, à Jaurino ſic dictus, Archiep. Hiſpalens. paſſus 4. Jul. an. 544. Vide Ribad. in flore SS. Sigiſ. Ferrar. p. 1. fol. 17.

S. Leo

S. Leo P. temporibus Andreæ Regis Ung. in persona Ungariam adiit, pacem inter hunc, & Henricum Imp. conciliaturus. Vide Avent. in Hist. Bavar. lib. 5. f. 401.

S. Leopoldus Marchio Austriæ, Pater Sophiæ Reginæ Ungar. 15. Novemb. Vita passim habetur.

S. Libius M. passus Sirmii in Ung. 23. Febr. Vide Boll: hac die.

S. Lumanus Ep. Hiberniæ, Nepos S. Patritii, filii Sororis S. Martini Sabariens. vixit an. 460. Ob. 17. Febr. Vide hac die Boll.

S. Lupitha V. filia Sororis S. Martini Sabariensis ann. 490. 27. Sept. Vide Bolland. 6. Febr. in vita S. Melis fol. 770.

S. Lupus Epis. & M. passus Sirmii in Ungar. 23. Mart. Vide Ephem. Græco-Moschas apud Bolland. tomo 1. Maji.

M.

S. Mamica M. passa in Ungar. sub Gratiano Sirmiensi an. 370. die 26. Martii. Vide Belland. fol. 619.

B. Marcus Ung. Conversus Ord. S. Franciści apud Insubres occisus 1372. die 2. Maji. Vide Martyr, Franciśc. & Bolland.

B. Margarita Ordin. Præmonstrat. Adleidæ Regis Ungarorum filiæ Abneptis 13. Julii. Vide Balbin in Bohem. sacra §. 52.

S. Mar-

S. Martinus Ep. Turonenſis, natus Sabariæ in Ungar. Obiit an. 402. 11. Novembr. Vita paſſim habetur.

S. Martinus Junior Pannonius Confeſs. Sabariâ ex Ungaria oriundus, dein Epiſc. Galiciæ. Obiit 22. Martii. Vide Baron. ad ann. 560. 512. & 583.

S. Martinus Dumienſis Ungarus Archiepiſc. Bracarenſ. colitur 20. Martii. Bolland. hac die.

SS. Martyres 72. paſſi Sirmii in Ungaria ſub Maximiano Imperat. 24. Februarii. Vide Kal. Rom. & Petr. lib. 3. c. 150.

S. Matthæus Monachus & M. cum S. Adalberto Ungariam excoluit in fide, occiſus in Bohem. 12. Novembr. Vide Inchoffer. ad ann. 1000. Dubrau lib. 6.

S. Marus M. Sirmii in Ungar. paſſus 9. Aprilis. Vide Bolland. hac die.

S. Maxima Conjunx S. Montani, Sirmii in Ungar. ſubmerſa odio fidei, 26. Martii. Vide Inch. ad an. 303. Bolland. hac die.

S. Maximianus M. Sirmii in Ungaria paſſus die 2. Jan. Vide Martyr. S. Hier. & Boll.

S. Mel. Epiſc. Ardachens. filius S. Darercæ. quæ erat ſoror S. Patritii, nati ex ſorore S. Martini Sabarienſ. 6. Febr. an. 488. Vide Bolland. hodie, & Colganum in Vita S: Patritii.

S. Me-

S. Melatius Episc. Ardachensis, Frater. S. Melis ex eadem Darerca, vixit 490. colitur 6. Febr. *Vide Boll. hac die. f.* 780.

S. Memorius M. ab Attila interfectus die 7. Sept. *Vide Kal. P. Szentiván. an.* 1680.

S. Methodius Hunnis Istri accolis Evangelium prædicavit sæculo nono. Colitur 9. Martii. *Vide Inchoffer, & Bolland.*

S. Metraphanes Ep. Constantinopolitanus de genere Probi Pannonii Sirmiensis 6. Junii. *Vide Surium tom.* 4. *die* 10. *Julii.*

S. Moderata M. passa Sirmii in Ungaria 6. Febr. *Vide Bolland. hac die.*

S. Moico M. passa in Ungaria propè Danubium sub Gratiano Sirmiensi ann. 370. die 26. Martii. *Vide Bolland.*

S. Monanus Archi-Diaconus Ungarus cum S. Adriano in Scotiam profectus, vixit an. 878. 1. Nov. *Vide Bolland. hac die.*

S. Montanianus M. passus Sirmii in Ungar. die 11. Maji. *Vide Boll. hac die fol.* 625.

S. Montanus Presbyter M. Sirmii in Ung. in fluvium mersus 26. Martii. *Vide Inch. ad ann.* 303. *Bolland*

S. Murus Episc. Tornacens. Filius S. Darercæ, quæ erat Neptis Sororis S. Martini Sabarienſis ex Ung. vixit an. 486. Obiit 6. Feb. *Vide Jovelin. cap.* 113. *Bolland. eâd. die.*

N.

S. NAtalia uxor S. Adriani, qui erat filius Probi Pannonii Sirmienſis. *Vide Petr. de natal. lib. 8. c. 52.*

S. Nicaſius Epiſc Rhemis in Gallia, ab Hunnis occiſ. *Vid. Bon. dec. 1. lib. 4. mihi 59.*

S. Nicetas Gothus M. paſſus in Tranſylvania 15. Sept. circa annum 401. *Vide Avent. lib. 2. fol. 264.*

S. Nicetus Epiſc. Daciæ, ſeu Tranſylvaniæ, colitur 7. Januarii. *Vide Inchoffer in annal. Ung. ad ann. 399. Baron. ad an. 397. n. 10.*

S. Nicolaus Ung. Epiſc. Ord. Præd. ob fidem Chriſti vivus excoriatus 7. Julii, circa an. 1230. *Vide Sigiſ. Ferrar. & Fridericum Stiell. hac die.*

B. Nicolaus Ord. S. Franciſ. paſſus in Civitate Bidinii in Ung. ann. 1396. *Vide Martyrol. Franciſc.*

S. Nicon Armenus, Ungaris *Pœnitentiam agite*, dictus, & ut Apoſtolus ab iisdem cultus. *Vide Inchoff. ad ann. 982.*

O.

B. OTto Friſingen. Epiſc. Frater Sophiæ Reginæ Ungar. 7. Sept. 1179. *Vide Fugger. in Spec. hon. Auſtr.*

S. Pa-

P.

S. PAtritius Major, Episc. Hiberniæ, filius Sororis S. Martini Sabarienſis ex Ung. Obiit 483. 17. Mart. *Vide Inchoffer ad ann. 369. Rolland. habet vitam fusè.*

S. Patritius Minor, Episc. Ardimachanus, filius Sennani, qui pariter fuit filius Sororis S. Martini Sabariâ ex Ungar. oriundi. *Vide Boll. 6. Febr. fol. 780.*

S. Paulus 1. Eremita, cujus corpus Ludovico primo Regi Ung. à Venetis donatum, propè Budam conditum fuit an. 1351. dein Trenchinium delatum, incendio consumptum est. *Vita passim 15. Jan.*

B. Paulus Ungarus, & 90. Socii Ord. Præd. an. 1240. occisi. *Vide Sigism. Ferrar. ex Bzovio ad ann. 1222.*

B. Pelbartus Themesvarienſ. Ord. S. Franc. Obiit Budæ; colitur 27. Maji. *Vide Martyrol. Franciſc.*

S. Petea, cujus corpus Belgradi asservatum fuit. *Vide Inchoff. in annal. Ung. ad ann. 1009.*

S. Petrus M. Sirmii in Ung. passus 8. Januar. *Vide Boll. & Martyrol S. Hieron.*

B. Petrus Confess. Ord. S. Franciſc. Obiit Budæ 16. Novem. *Vide Wad. in Chron. ad ann. 1287. n. 8.*

S. Philgas M. passus in Ung. ad Danubium, sub Gratiano Sirmiensi ann. 370. 26. Martii. *Vide Bolland.*

S. Philippus Apost. omnem propè Scythiam ad fidem Christi convertit; colitur 1. Maji. *Vita passim.*

S. Polion M. passus Cibali, seu Brod. in Ung. inter Dravum & Savum 28. April. sub Diocletiano. *Vide Bollandum hodie.*

S. Priscilla V. & M. cujus corpus Tyrnaviæ in templo PP. Soc. Jesu quiescit. Colitur ex confessione Pauli V. Pontificis.

S. Proculus Veronens. Episc. multos in Ung. ad Christi fidem convertit. *Vide Petr. de Natal. lib. 1. cap. 49.*

Q.

S. QUirinus Epis. Sciscianus propè Sabariam in flumen mersus an. 308. 4. Jun. *Vid. Bav. Sacr. Raderum Megiserum. lib. 3.*

R.

S. RAtites M. in Ung. Sirmii passus 8. Jan. *Vide Boll. & Kalend. S. Hieron. hac die.*

S. Rembertus Sclavoniæ & Gothiæ, quæ nunc Ungaria est, Apostolus. Obiit 1. Febr. circa an. 888. *Vide Bucel. hac die.*

S. Rhyas M. passus in Ung. ad Danubium an. 370. die 26. Martii. *Vide Boll. hac die.*

S. Rio-

S. Riocus Abbas, & Inisbovindenſ. Epiſc. Nepos S. Patritii Filii Sororis S. Martini ex Ung. oriundi, vixit 490. *Vid. Bol. 6. Febr.*

S. Rogatianus M. paſſus Sirmii in Ung. die 36. Febr. *Vide Bollandum.*

S. Romana M. paſſa Sirmii in Ungar. die 6. April. *Vide Bolland.*

S. Romualdus Abbas, venit in Ungariam, Evangelium prædicaturus, colitur 7. Febr. *Vita paſſim hac die.*

S. Rufina M. paſſa Sirmii in Ung. 6. April. *Vide Bolland. hodie.*

S. Rupertus Epiſc. omnia Danubio adſita Oppida & pagos luſtravit, in Pannoniam penetravit annô 628. 27. Martii colitur. *Vita paſſim.*

S. Rutulus M. paſſus Weſprimii in Ungar. 23. Febr. *Vide Inchoff. in annal. Ungar.*

S. Rutulus cum duobus Sociis in Ungaria Sabariæ paſſus 4. Junii. ann. 303. *Vide Bolland. hac die.*

S.

S. SAbaria M. paſſa circa Sirmium in Ung. 4. Julii. *Vide Rosvveid. in Kalend. vet.*

B. Sadochus cum 48. Sociis Ord. Præd. paſſus Sandomiriæ 1260. 2. Jun. *Vide Sigiſm. Ferrar. p. 1. c. 10.*

S. Sa-

S. Saturus M. passus in Ungar. Sirmii 6. Apr. *Vide Bolland. hac die.*

S. Sebaldus Conf. Ord. S. Augustini, Daciæ (quæ nunc Transylvania) Regis filius 18. Aug. *Chron. Ord. Erem. S. Augusti. ad ann.* 1494.

S. Secundus M. passus Sirmii in Ung. die 6. Apr. *Vide Bolland.*

S. Semidia V. & M. cujus corpus Tyrnaviæ in Ung. in templo Soc. Jesu asservatur. Colitur die 12. Octobr.

S. Senerotis M. passus Sirmii in Ung. die 23. Febr. *Vide Boll. hac die fol.* 396.

S. Serotina V. & M. cujus corpus Tyrnaviæ in æde sacra Soc. Jesu asservatur.

S. Severina V. & M. passa Romæ via Salaria, corpus ejus Tyrnaviæ in Colleg. S. J. in Ung. quiescit.

S. Severinus Episc. Noricorum post fatum Attilæ pro fide laboravit in Ung. Ob. 482. 8. Jan. *Vide Avent. lib. 2. f.* 288. *Bol. 8. Jan.*

S. Severus cum 62. Sociis Monachus M. in Ung. Sirmii passus 21. Febr. *Vide Boll. hac die fol.* 235.

S. Sigitas M. passus in Ungar. ad Danubium an. 370. die 26. Martii. *Vid. Boll. hac die.*

S. Sirenus Monachus & M. cum 72. Sociis in Ungar. passus 23. Febr. ann. 302. *Vide Bolland. qui habet vitam.*

S. Sir-

S. Sirmion M. passus in Ungar. in agnomine sibi Urbe Sirmio die 9. Aprilis. *Vide Bolland hac die.*

B. Stephanus Ungarus Ord. S.Franc. Martyr illustris. *Vide Wad. to. 3. an. 1334. n. 4.*

B. Stephanus in Ungaria Ord. S. Franc. juxta montes Caspios à Schismaticis occisus 5. April. *Vide Martyrol. Francis. Wading. tom. 2. ann. 1284.*

S. Stratonicus M. Custos carceris S. Hermyli, mersus in Istrum in Ungaria Senderoviæ 13. Jan. circa ann. 315. *Vitam Bolland. hac die.*

S. Suerilas M. passus in Ung. sub Gratiano Sirmiensi 370. die 26. Martii. *Vide Bolland. hac die.*

S. Sviumbas M. passus in Ung. sub Gratiano Sirmiensi, anno 370. die 26. Martii. *Vide Bolland. eâdem die.*

S. Sylas M. passus in Ung. sub Gratiano Sirm. an. 370. die 26. Mart. *Vide Boll. hodie.*

T.

S. TAria M. in Ung. Sirmii passa die 8. Jan. *Vide Kalendar. S. Hieron.*

S. Theatinus, vel Theotimus Episc. Scythiæ, Apostolus Hunnorum 20. April. *Vide Inch. ad an. 402. Itẽ. Mar. Rosvveid.*

S. Theo-

S. Theopista Eustachii Daciæ (nunc Transylvania) Regis Conjunx, & Martyr. *Vide Inch. in annal. Ung. ann.* 103. Colitur. 20. Sept.

S. Theopistus, dictæ S. Theopistæ filius *Vide ibid.*

S. Thermas M. passus in Ung. ad Istrum sub Gratiano Sirmiensi an. 370. 26. Martii *Vide Bolland.*

S. Tiballus M. in Ungar. Cibali inter Savum & Dravum passus 28. Apr. sub Diocletiano. *Vide Bolland. hodie fol.* 566.

S. Tigripa filia sororis S. Martini Sabariâ ex Ung. oriundi. *Vide Boll.* 17. *Martii.*

S. Tilis M. passus Sirmii in Ung. die 8. Jan. *Vide Bolland. ex Martyr. S. Hieron.*

S. Timotheus M. in Ung. Sirmii passus 2. Januar. *Vide ibidem.*

S. Timotheus cum 7. Virginibus MM. in Ung. passus 15. Maji. *Vide Bolland. hac die f.* 455.

S. Tobia M. passa Sirmii in Ung. 2. Jan. *Vide Bolland. ex Kalend. Hieron.*

V.

B. VAcius Eremita, S. Ladislao Ung. Regi venerandus, Urbi Vaciæ nomen reliquit. *Vide annal. Paulinor. & Bonfin. fol.* 215.

S. Ver-

S. Vercas Presbyter M. passus in Ung. ad Danubium sub Gratiano Sirmiensi 26. Martii an. 370. *Vide Boll. hac die.*

S. Victorinus Ep. & M. Frater S. Severini, cum quo in Ungaria prædicavit. *Vide Phil. Ferrar. in Catalog. novo SS.*

S. Virco M. passa in Ung. ad Danubium sub Gratiano Sirmiensi 26. Martii ann. 370. *Boll. eâdem die.*

S. Virgilius Ep. Salisburg. ad fines Pannoniæ excurrens, ubi Dravus se in Istrum exonerat, gentes Christianâ disciplinâ imbuit ann. 784. *Vide Rader. in Bav. Sanc. par. 1. fol. 74.*

S. Vitus M. passus in Ung. Sirmii die 2. Jan. *Vide Bolland. hac die.*

B. Vitus Pannonius, Ord. Erem. S. Augusti. *Vide Raph. Volaterr. lib. 21. Comment. Bolland. tom. 5. Maji, fol. 434. Alii ponunt. 1. Augusti.*

S. Urolphus Archiep. Laureacens. multos Hunnos & Avares ad Christi fidem convertit, & eorum Ducem baptizavit, circa ann. 825. versatus Ovarini. *Vide Avent. lib. 4. fol. mihi 341.*

S. Ursula cum undecim millibus Virginum ab Attila interfecta an. 383. 21. Octob. *Vide prater alios Bonfin. dec. 1. lib. 5. fol. 74.*

S. Wiberarda V. in Monasterio Galli ab Hunnis interfecta, an. 926. *Vide Inch. in annal. Ung. ad hunc annum*

S. Wimo Scytharum Apostolus circa ann. 936. *Vide Bucelin. in annal. Bened. 21. Octob.*

S. Wolffgangus, ante Episcopatum S. Piligrini in conversione Ungarorum socius circa ann. 904. *Vide Raderum in Bav. Sanc. par. 1. fol. 94.*

O. A. M. D. G.

D. O. M. A.

Quòd

Bonum, Felix, Fauſtum, Fortunatúmque ſit

Huic Almæ Regio - Principali Soc. JESU ACADEMIÆ CLAUDIOPOLITANÆ Senatui Philoſophico,

Totíque Reipublicæ Chriſtianæ.

SUB ADMODUM REVERENDO AC DOCTISSIMO PATRE

FRANCISCO SZABO

è Soc. JESU AA. LL. & Philoſop. Doct. nec non Inclytæ Facult. Philoſ.

DECANO SPECTABILI

Spect. Peril. Rev. Prænob. Nob. Eximii, ac tam Virtute, quàm Eruditione Conſpicui, AA. LL. & Phil. Candidati, in Aula Academ. Regio-Princip. Claudiopolitana S. JESU Annô MDCCXXXVIII. menſe Junio die 25. horâ 8vâ Mat. Primâ AA. LL. & Philoſophia Laureâ condecorati ſunt.

PROMOTORE

R. P. LADISLAO NEDECZKI

è Soc. JESU, AA. LL & Philoſoph. Doct. ejuſdémque Profeſſore Ordinario.

NOMINA PROMOTORUM

Spectabil. STEPHANUS Keresztúri de Bere-Kereſztúr Sic. ex Sede Maros

1. Ordine Alphabetico.

R. D. ANTONIUS Bertalan Nob. Sic. Torienſis ex Sede Haróm-ſzék è Sem. Cl. A. Illy.

JOSEPHUS Pintershoffen Nob. Tranſilvanus Banffi-Hunyadienſis. ex Comit. Colos.

STEPHANUS Keresztúri de Bere-kereſztúr Spectabilis Siculus ex Sede Maros

2.

JOSEPHUS Baló Prænob. Sic. Csoma-Falvenſis ex Sede Gyergyó è Conv. Nob.

R. D. MARTINUS Simon Nob. Sic. Szárhegyienſis ex Sede Gyergyó è Sem. Cler. Al. Bar.

R. D.

R. D. ANDREAS Csató Nob. Sic. Szent Simonenſis ex Sede Csik è Sem. Cler. Al. Apor.

3. THOMAS Buss Civis Ung. Claudiopolitanus.

JOANNES Blasi Nob. Siculus Szent-Mikloſienſis ex Sede Gyergyó è Sem. S. Joſephi.

JOSEPHUS Fogarasi Nob. Sic. Oroſz-Fajenſis ex Comitatu Coloſienſi.

D. THOMAS Hlavenka Nob. Hung Broczkenſis ex Comitatu Nitrienſi.

MATTHIAS Mattyasovszki Perill. Hung. de Felſö Mattyaſovecz ex Comitatu Liptovienſi.

NICOLAUS Szabo Nob. Sic. Szent-Gyeörgyienſis ex Sede Csik è Sem. S. Joſephi.

DAVID Szebestyen Nob. Sicul. Sögöthenſis ex Sede Csik.

MAT-

MATTHIAS Jagyugya Nobil. Hung, Horváthienſis ex Comitatu Hontenſi.

PROBLEMATA IN ACTU DECIDSA.

I. An Principem magis ornent bella? an amor in literatos?

Problema Geometricum.

II. Metiri Latitudines, & Altitudines ſinè inſtrumentis geometricis.



DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
Lelt.
20.014-1955

758164